



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiae Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Tractatus III. De Avgvstissimo Evcharistiæ Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)



TRACTATUS III. DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPVT I. DE PARTIBVS CONSTITVTIVIS EVCHARISTIÆ.

CONTROVERSA I.

An species seu Accidentia Panis & Vini sint Partes Eucharistia.

755. **D**icendum est contra Durandum, species Sacramentales quæ sensibus percipiuntur, esse partes constitutivas Sacramenti Eucharistia. Definitur ex cap. cum Martha s. distinguendum est: de Celebr. Missar. qui textus ut intelligatur; Sciendum est, solere Theologos, ad imitationem antiquorum, in Sacramentis novæ legis tria ab invicem distinguere; quorum vnum vocant, *Sacramentum tantum*: alterum, *rem tantum*: tertium, *rem & Sacramentum simul*. Sacramentum tantum vocant illud, quod significat, & non significatur; & hoc semper est aliquid intrinsecè pertinens ad constitutionem Sacramenti, v.g. in baptismo verba & ablutio sunt Sacramentum tantum, quia simul sumpta significant ablutio- nem spiritualem, sed non significatur: nam licet verba videantur significare ablutio- nem corporalem, hæc tamen non est terminus Sacramen- taliter significatus, sed hoc significant ex imposi- tione hominum. Alterum, nempe Rem tantum, volunt esse illud, quod solummodo significatur & non significat: & hoc non est aliud quàm Gra- tia sanctificans, ac proinde non est pars constitu- tiva Sacramenti, sed effectus primarius illius. Tertium, nempe Sacramentum & rem simul, di-

cunt esse illud, quod & significat, & significatur, & quandoque est, quandoque non est constitui- vum Sacramenti. In tribus Sacramentis est Cha- racter. In Matrimonio assignatur indissolubili- tas radicalis: in Eucharistia Corpus & Sanguis Christi: in extrema vnctione & poenitentia est major difficultas, quidnam sit Res & Sacramen- tum simul, de qua videri potest Lugo d. 2. s. 8. Hoc posito

In allegato cap. cum Martha, Innocentius III. tradit, species visibiles esse *Sacramentum tantum*, atqui, ut diximus, id quod est Sacramentum tan- tum, semper est intrinsecè pertinens ad rationem Sacramenti: ergo species sunt etiam intrinsecè pertinentes ad Sacramentum Eucharistia.

756. Probatur 2. ex Trid. sess. 13. c. 1. vbi definitur, in Eucharistia Sacramento post conse- crationem Christum verè contineri sub specie re- rum sensibilium: quibus verbis videtur suppo- nere, hoc Sacramentum secundum quod est per- manens, non in solo Christo consistere, alioquin non rectè diceret, Christum in Sacramento con- tineri: atqui nihil aliud potest assignari quod præter Christum constituat hoc Sacramentum in esse permanentis, quàm species sub quibus Chri- stus continetur: ergo &c.

G g g g Probatur

Probatur 3. ex definitione Sacramenti, quod debeat esse signum sensibile: atqui Eucharistia non est signum sensibile nisi ratione specierum: ergo per species constituitur in ratione signi sensibilis: ergo etiam in ratione Sacramenti.

757. Objicies, in illo solo debet constitui hoc Sacramentum, quod habet rationem cibi: sed sola substantia, & non accidentia possunt habere rationem cibi, quia sola substantia nutrit: ergo Sacramentum Eucharistiae consistit in solo Corpore & Sanguine Christi. R. Distinguendo minorem: de cibo corporali conceditur, de spiritali & mystico cibo negatur. sicut enim nutritio spiritalis non tendit ad terminum substantialem producendum, sed accidentalem, nempe gratiam, ita non est necesse, ut cibus consistat in sola substantia.

CONTROVERSIA II.

Vtrum, & quomodo in Eucharistia importetur Corpus Christi & Species.

758. Dicendum est 1. Corpus & Sanguis Christi pertinet intrinsecè, & vna cum speciebus constituit Sacramentum Eucharistiae. Est contra Scotum & Marsilium. Probatur 1. ex Scriptura, in qua Christus loquens de hoc Sacramento tanquam de cibo spiritali ait suam carnem & sanguinem esse hunc cibum & potum. Io. 6. Probatur 2. ex PP. S. Augustinus relatus in canone: *Hoc est*: 48. de Consec. dist. 2. ait, Sacrificium altaris duobus constare, scilicet, visibili elementorum specie, & corpore Christi, sicut Christi Persona constat & perficitur Deo & homine. S. Irenaeus l. 4. c. 34. dicit, Eucharistiam duobus rebus constare, altera terrenâ, altera caelesti. S. Damascenus lib. 4. c. 4. ait, Eucharistiam esse cibum compositum, sicut nos sumus compositi.

Objicies. In alijs Sacramentis illud quod est res & Sacramentum simul, non est intrinsecè constitutum Sacramenti, nimirum Character: atqui in hoc Sacramento Corpus Christi est res & Sacramentum simul, quia significat & significatur: ergo non est intrinsecè pertinens ad rationem Sacramenti. R. Imprimis antecedens non esse vniuersaliter certum etiam de reliquis Sacramentis; multi enim volunt in Sacramento Pœnitentiae dolorem esse rem & Sacramentum, & tamen est pars Sacramenti Pœnitentiae. Quidquid tamen sit, transeat antecedens, nego consequentiam & paritatem. Primum, quia Corpus Christi significat practicè gratiam tanquam cibus, non item character, qui est effectus simultaneus cum gratia. Secundò, quia vt dicemus Conclus. 3. Corpus Christi importatur in recto in Eucharistiae Sacramento, & ideo necessariò est pars. Character autem est merum connotatum, & effectus.

759. DICO 2. Strictè & Metaphysicè loquendo solè illa partes constituunt intrinsecè

hoc Sacramentum, quæ vi verborum formaliter, & non merè per concomitantiam ponuntur in hoc Sacramento. Supponimus autem, quod de fide certum est, aliquas Christi partes non poni in Eucharistia præsentis vi verborum formaliter, sed merè per concomitantiam, v. g. sub speciebus hostiæ seu panis ponitur sanguis merè per concomitantiam, quia per vocem *corpus* non significatur formaliter sanguis: pariter sub speciebus vini ponitur per concomitantiam corpus, quia per vocem sanguis, non significatur formaliter corpus. item sub vtraque specie ponitur per concomitantiam Anima & Divinitas. Hoc supponitur Probatur Conclusio. Illud solum Corpus Christi constituit hoc Sacramentum, quod vi verborum fit sensibile: sed solè ille partes Christi sunt vi verborum sensibiles, quæ vi verborum formaliter ponuntur: nam cæteræ solum per consequentiam deducuntur adesse, propter rationem cum partibus formaliter significatis. Ergo &c.

Objicies. Tridentinum dicit, etiam humanam & Divinitatem contineri in hoc Sacramento. R. Concilium non loqui secundum proprium & sensum Metaphysicum, seu, de concomitantia metaphysica, sed definit contra hæreticos, nec omnia ibi esse præsentia: qui modus loquendi non est improprius sed vulgaris: sic etiam dicuntur in homine contineri scientia & virtus. Ita Lugo.

760. DICO 3. Corpus Christi sub speciebus panis, & Sanguis sub speciebus vini importantur in recto. Est communis. Prob. 1. Hoc Sacramentum dicitur à Tridentino *sess.* 21. c. 1. adorabile cultu latræ: ergo saltè aliquid illius importatum in recto debet esse tali cultu adorabile seu coadorabile cum divinitate: atqui species non sunt adorabiles nisi cultu respectivo, sicut purpura Regis, vt tract. 1. huius libri dictum est: Corpus autem Christi propter unionem cum Verbo potest adorari cultu absoluto latræ, vt ibidem probatum est: ergo importatur in recto. Probatur 2. ex recepto loquendi modo Patrum, dum dicunt hoc Sacramentum esse Corpus, Carnem, Sanguinem Christi. videantur apud A.A.

761. Dissensio tamen aliqua est circa species & Verba, quomodo importentur. Communis valde sententia vult importari in Recto. Contrarium asserit Lugo; & quia hanc illius sententiam 53. abhinc annis Vallisolei doctus aliqui Salmanticenses Theologi singularem vocarunt, ideo nunc pro ea citat VValdenstem, Estium, Sylvium, Alanum.

In questione parvi momenti, malo cum communi sentire, species etiam importari in recto: tum quia ipse Lugo fatetur, hoc Sacramentum sæpè ita accipi, vt etiam species importentur in recto; tum quia hoc est conformius alijs communibus Sacramentis quæ important in recto illud, quod est Sacramentum tantum. tum quia argumentum Lugonis commodè solvi potest. Itaque

CONTROVERSIA III.

An Verba Consecrationis sint intrinseca Eucharistia Sacramento.

763. **N**egant Scotus, Gabriel, Victoria, Catharinus, Vasquez, Bellarminus, Conink, Comptonus.

DICO Verba Consecrationis constituere intrinsecè Sacramentum Eucharistia. Ita Suarez, Valentia, Lugo, Tanner, Arriaga, Esparza, post S. Thomam q. 60. a. 6. ad. 2. & Catechism. Roman. p. 2. c. 1.

Probatur 1. auctoritate Florentini, in Decreto Eugenij IV. vbi in §. *Tertium est*. habetur, formam Eucharistia esse Verba consecrationis: atqui omnis forma est constitutiva illius compositi, cujus est forma, nec forma quæ forma habet alium modum caullandi, quàm componendo totum. Ergo &c.

Probatur 2. Illud constituit intrinsecè Eucharistiam in ratione Sacramenti, à quo species Sacramentales habent formaliter, vt sint sensibile signum Corporis Christi, & gratia per ipsum conferendæ: sed hoc habent formaliter à verbis consecrationis: ergo &c. Minor probatur. Nam Corpus Christi in se non est sensibile prout existit in Eucharistia, sed neque est sensibile per species panis secundum se sumptas: significarent enim potius substantiam panis adesse, quàm Corpus Christi: ergo in quantum substant verbis affirmantibus ex institutione Christi præsentiam Corporis Christi.

764. **O**bjicies 1. Eucharistia est Sacramentum permanens: ergo omnes ejus partes debent esse permanentes: atqui verba sunt jam præterita, etiam quando manet hoc Sacramentum: ergo non sunt partes. **R.** Distinguendo consequens: omnes partes debent esse permanentes vel physicè vel moraliter concedo: debent semper esse permanentes physicè, nego consequ. & explico distinctionem. Sacramentum Eucharistia dicitur permanens comparativè ad alia Sacramenta, quia alia solùm dum conficiuntur, habent vsum, quia formaliter consistunt in vsu, & ideo eorum vsus physicus non potest esse posterior tempore post primam Sacramenti existentiam. At verò vsus physicus Eucharistia potest esse, imò semper est posterior primæ confectione & existentia hujus Sacramenti: ad hoc autem sufficit aliquas partes esse physicè durantes & vsurpabiles ac applicabiles passo, seu recipienti Sacramentum ad producendum effectum, ad quem illud totum morale est ordinatum, & quia vnà cum partibus physicè existentibus & applicabilibus verba quamvis præterita concurrunt, quatenus vnà cum speciebus exigunt perseverantiam Corporis Christi sub speciebus, & vnà cum corpore Christi caullant moraliter gratiam tanquam pars signi practici, ideo censentur verba adhuc esse

Gggg 2

762. **O**bjicit Lugo. Sancti Patres dicunt, Eucharistiam esse Corpus Christi, & nullam faciunt mentionem specierum: atqui si etiam species importarentur in recto, falsa esset illa propositio, sicut hæc est falsa: *Humanitas est anima*. Hoc est totum fundamentum Lugonis. ad quod tamen pari facilitate responderi potest, qua, vt paulò antè retuli, respondet ipse Lugo ad textum ex Tridentino allatum, nimirum Tridentinum non esse locutum in rigore Metaphysico; pari, inquam, jure respondemus, Patres non fuisse locutos in rigore Logico aut Metaphysico: nam eorum institutum erat, docere populum ea de quibus poterant dubitare, & errorem perniciosum incurere, hujusmodi erat præsentia corporis Christi: quòd autem Eucharistia importet aliquo modo species, erat extra controversiam. Item Patres volebant populo inculcare Excellentiam hujus Sacramenti, ad quod vtiq; maximè conducebat explicare præsentiam Christi, quæ movet ad reverentiam & devotionem.

Confirmatur 1. alijs exemplis. In Symbolo S. Athanasij dicitur: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo &c. qui tamen modus loquendi, secundum principia Lugonis, non est Scholasticus, quia tò *Homo*, importat in recto Subsistentiam. Item in Symbolo Apostolorum dicitur, quòd Christus descendit ad inferos, & tamen sola anima descendit, quæ non est Christus in Recto. Sicut ergo in vulgari loquendi modo sæpè partem vocamus totum, vt cum dicimus S. Petrum esse in Cælo, ita poterant Patres, & possumus etiam nos Corpus Christi vocare Sacramentum, licet in rigore metaphysico sic tantum pars recti.

Confirmatur 2. Baptismus, secundum Lugonem, importat in recto non solùm abluionem, sed etiam verba, & ita docet cum Vasquez contra Scotum: & tamen in definitione Baptismi quæ traditur à Magistro sententiarum, & recipitur ab omnibus Theologis, sola ablutio ponitur in recto: definitur enim *ablutio corporis exterior sub prescripta forma verborum*.

Confirmatur 3. & probatur argumento, quo Lugo movetur ad dicendum, quòd baptismus importet in recto etiam verba. Partium integranrium proprium est, vt omnes importentur in recto per nomen totius. sic nomen *Domus* non importat in recto fundamentum, & in obliquo tectum, sed vtrumque in recto, ita habet d. 2. f. 3. n. 66. subsumo. atqui species Eucharistia sunt pars integralis Eucharistia, non minùs quàm verba sunt pars integralis baptismi: ergo importantur in recto non minùs quàm verba in baptismo.



esse moraliter præsentia & permanentia, hoc est, perinde serviunt ad usum Eucharistiæ, ac si essent physicè præsentia: & hæc moralis præsentia seu permanentia tunc primum definit, quando species panis desinunt continere Corpus Christi: vel meliùs: quando desinunt esse species panis.

765. *Objicies 2.* Potest totum hoc Sacramentum explicari per formam physicè præsentem: ergo non est cur recurramus ad verba præterita. Probatur antecedens. Possumus dicere, Sacramentum hoc ultra corpus & species constitui per negationem revocationis verborum. Nam etiam si verba præcessissent, si tamen postea essent revocata à Christo (nam revocatio Ministri non sufficeret) jam non amplius servirent ad hoc, ut species essent signum præsentia Christi. Ità olim philosophatus est Romæ P. Antonius Mangilius.

ꝛ. Negando antecedens: ad probationem Respondeo, eâ ad summum probari, præter verba præterita etiam includi negationem revocationis, seu meliùs: includi voluntatem Dei non auferendi vnquam Corpus Christi post verba prolata, quamdiu manent species panis: sed non probatur, verba præterita non etiam includi: quia semper verum est, quod per verba præterita fiat nobis sensibilis præsentia Corporis Christi, adeoque in ratione Sacramenti includantur verba præterita.

CONTROVERSIA IV.

Virum Intentio Ministri sit Pars Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum.

768. *C*ard. de Lugo hanc questionem excitavit, & docuit, in omnibus Sacramentis, exceptâ Eucharistiâ, Intentionem Ministri esse partem constitutivam Sacramentorum: quam sententiam deduxit ex Regula partium: Nam cæteris omnibus positis, solâ intentione non positâ, non est positum Sacramentum. De fundamento excipiendi Eucharistiâ postea videbimus.

Hanc Lugonis doctrinam, quâ vult, Intentionem esse partem aliorum Sacramentorum, agit P. Dicastillo tanquam singularem, toti antiquitati, & manifestæ rationi contrariam. Vtùm P. Dicastillo omni suo conatu apud posteritatem adeo nihil effecit, ut famosi Recentiores, cæteroque opinonibus Lugonis non singulariter additi, in hoc tamen puncto Lugonem sint secuti: Antonius Perez, Pallavicinus, Arriaga, Esparza.

DICO. Intentio Ministri est intrinsecè constitutiva omnium Sacramentorum, etiam Eucharistiæ. Quoad alia Sacramenta probatur Conclusio ex Regula partium, & de hoc jam supra dictum est. Nunc id agendum, ut Conclusionem argumento vniuersali probemus. Illud est intrinsecè constitutivum Sacramenti, sine quo, cæteris omnibus positis, non est signum sensibile, ha-

bens virtutem causandi gratiam: sed solâ intentione non positâ, cætera omnia non continent signum sensibile causativum gratia: ergo Sacramentum Minor probatur. Sacramenta in ratione signi causativi Gratia, constituuntur per hoc, quod includant actiones vel verba prolata nomine Christi, ut supra dictum, & communiter est receptum, atqui seclutâ intentione, omnibus cæteris positis, actio & verba inclusa in Sacramentis non habent hanc denominationem, quod fiant nomine Christi: ergo solâ intentione absentis, cæteris omnibus positis, non manet signum causativum Gratia Minor est evidens, quia denominatio hæc: *actio nem hanc esse factam nomine Christi*, habetur formaliter ab intentione Ministri. cum enim sit prolatio verborum secundum se sit indifferens, ut fiat vel nomine proprio vel alieno, debet per aliquid determinari, ut fiat nomine alieno: atque non determinatur ab alio quàm ab intentione Ministri, ut jam superius declaratum est. Ergo.

Hoc argumentum procedit aequè de Eucharistiâ ac cæteris Sacramentis. Nam verba consecratoria (quæ Lugo fatetur includi in Eucharistiâ) non quomodocumque sumpta, nec Corpus Christi præcitè prout subsistat species, habent in Sacramentalem causandi gratiam, sed verba ut prolata nomine Christi, & corpus ut constitutum sub speciebus vi verborum prolatorum nomine Christi: sic enim & non aliter Christus suo corpori & sanguini applicavit sua merita. Ex hoc denique argumento responderetur ad fundamentum quo Lugo inductus est, ut Eucharistiam exciperet.

769. *Objicit ergo Lugo:* Intentio non requiritur formaliter ad constituendum Sacramentum in ratione sensibilis, sive, non est ipsa sensibilis Eucharistiæ. Nam ipsa intentio in se non est sensibilis, sed sentitur per verba: vniuersa intentio tantum requiritur, ut Corpus Christi sub speciebus ponatur per verba, quo effectus debet nihil ulterius operatur, sed Corpus Christi sub speciebus operatur adæquatè gratiam. *ꝛ.* Hoc argumento probaretur, quod nec verba essent constitutiva hujus Sacramenti: si enim Corpus Christi sub speciebus existens est causa adæquatè Gratia, tunc hoc complexum est adæquatè Sacramentum: sed in hoc complexo non includuntur verba Ministri, quibus conficit hoc Sacramentum: ergo &c. Itaque

ꝛ. Sensibilitatem hujus Sacramenti non esse quidem ipsam intentionem, sed verba: verba reddunt indivisibiliter & æqualiter sensibilem tam præsentiam Christi quàm intentionem Ministri, quia verba non significant præsentiam Christi nisi dependent ab intentione Ministri: verba enim significant Christum esse præsentem vi intentionis Ministri: hinc si verba sint ingnum falsum respectu intentionis, sunt ingnum ad constituendum Sacramentum: arguuntur sent signum falsum, si non adesset intentio: ergo sine intentione non possunt verba constituere

stituere hoc Sacramentum : atqui verba constituunt hoc Sacramentum, vt fatetur Lugo : ergo etiam intentio constituit hoc Sacramentum.
 70. 3. Corpus Christi non esse adæquatam causam Gratiæ, sed vnâ cum verbis, prout sunt verba Christi : hoc autem formaliter habent per intentionem, vt probatum est : ergo non minùs Intentio quàm verba constituunt Eucharistiam.

770. Oficies 2. & vniuersaliter, ad probandum, quòd nullum Sacramentum constituatur per Intentionem Ministri. Si Intentio Ministri esset intrinsecè constitutiva Sacramentorum, tunc etiam potestas Ministri esset intrinsecè constitutiva Sacramentorum quæ administrat ; nam de illa pariter procedit regula, scilicet, quòd ablatâ potestate, manente intentione & omnibus cæteris, non daretur Sacramentum : consequens est absurdum : ergo &c. Minor probatur : nam si hoc concedatur, vterius deducetur, quòd in Sacramento Ordinis, quo quis consecratur Sacerdos, includatur non solum character baptismalis ipsius ordinandi, sed etiam ordinantis character duplex, videlicet baptismalis & Episcopalis : item includerentur omnes characteres omnium retrò Episcoporum in ea serie, quâ ab invicem sunt successivè creati, quia per horum omnium characteres videtur constitui potestas ordinantis : ergo si potestas ordinantis includatur in Sacramento Ordinis, omnes illi characteres includentur, quod vitium videtur inconueniens.

71. Si Regula partium æquè procederet de his omnibus, sicut procedit de Intentione, tunc concedendæ essent omnes sequela, & negandum esset, eas absurdas, sicut non est absurdum concedere (prout vi regulæ concedendum est) quòd in denominatione, quâ ego denominor *Posterius Adami*, includantur omnes Generationes retrò factæ meorum majorum vsque ad Adamum : quia quacunque mediâ generatione ablatâ, cæteris manentibus, ego non ero *ex posteris Adami*. Cæterum

Ad Objectionem 2. directè, concedendo primam sequelam & negando minorem : ad cuius probationem negatur sequela & paritas. Concedo quidem includi Characterem baptismalem ipsius ordinandi, & Characterem Episcopalem Ordinantis, nego tamen characterem priorum ordinarum includi, quia de illis Regula partium non procedit. Nam si per possibile vel impossibile existerent isti duo characteres cum cæteris actionibus ad ordinationem requisitis, & nullus alius character præcessisset, esset valida ordinatio & verum Sacramentum, quia actiones procederent ab habente potestatem, quæ adæquatè constituitur per characterem, & per voluntatem Christi instituentis hoc Sacramentum : Character dici potest Potestas Ordinis intrinseca, Voluntas verò Christi Potestas extrinseca.

771. Obicies 3. Intentio Ministri sæpè est peccaminosa, vt quando Sacramentum admi-

nistrat ex malo fine, vel in Statu peccati : atqui actus peccaminosus non potest esse constitutivus Sacramenti, quod est opus Dei ; ergo &c. Hoc argumentum bene retorquet Lugo in Sacramento Matrimonij, cuius constitutivum est consensus internus, & tamen ille consensus sæpè est peccaminosus. Respondet ergo citatus Card. n. 139. nullum esse inconueniens, quòd Sacramentum constituatur & componatur partialiter ex peccato. Nam illa actio non causat Gratiam, nec movet Deum vt est actio hominis huius qui est Minister, sed vt est actio facta nomine Christi, & vt sic est laudabilis, laudabilitate extrinsecâ : sicut quando famulus dat Eleemosynam, ex iussu domini, per actum peccaminosum, quæ datio Eleemosynæ prout est actio domini dantis Eleemosynam per famulum, movet Deum ad retributionem, & quandoque Ecclesiam ad concedendas Indulgentias, & pauperem accipientem movet ad gratiarum actionem, licet prout est à famulo, si famulus det ex mala intentione, displiceat Deo, & non mereatur gratiarum actionem, nec Indulgentias.

CONTROVERSIA V.

An, & quâ ratione substantia Panis & Vini constituent intrinsecè Sacramentum Eucharistia.

772. Certum est, substantiam panis & vini non esse partem Eucharistiæ secundum existentiam præsentem pro tunc quando est Eucharistia. Nam de fide est, hanc desinere post consecrationem. Imò negatio huius existentia seu durationis significatur per verba consecrationis, vt infra probabo. Hoc supposito

Questio est, an, hoc quod est : panem & vinum præexistente sub speciebus istis, sit de essentia Eucharistiæ.

Quidam Recentiores apud Card. de Lugo & Arriagam dixerunt, Concilium Florentinum, quando dixit, Materiam huius Sacramenti esse panem & vinum, per panem & vinum non intellexisse ipsam substantiam, sed solas species remanentes. Quæ assertio si vera esset, sequeretur, substantiam panis & vini ne quidem in ratione præexistentis & termini transcuntis esse de essentia Eucharistiæ. quia si darentur species sine substantia panis & vini ante consecrationem, sicut dantur post consecrationem, haberetur sufficiens materia consecrationis & Sacramenti.

Card. de Lugo, & Arriaga, pro certo supponunt, quòd in hoc casu non posset fieri consecratio : hoc tamen non aliter probant, nisi quòd Florentinum assignaverit pro Materia Panem & Vinum.

Ad hoc tamen fundamentum responderi posset, Florentinum locutum esse de casibus occurrentibus secundum præsentem cursum rerum, & non de casu nunquam eventuro, qualis esset, si darentur species sine substantia ; sicut etiam ibi-

Gggg ; dem

dem dicitur, Materiam Calicis esse *Vinum de vite*. & tamen Theologi omnes fatentur, quod si daretur vinum miraculose productum, vt in Cana Galilææ, quod inquam in tali vino consecrari posset: cur non ergo in casu quo darentur species sine substantia? Nihilominus supponendo sententiam, quod in tali casu non posset fieri consecratio, procedit questio, an præexistencia panis & vini sub his accidentibus, constituat intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ, sicut præexistencia peccati dicitur esse constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ, vt infra probabo.

775. DICO, substantiam panis & vini in ratione termini præexistentis & transeuntis constituere hoc Sacramentum. Probatum. Illud omne est intrinsecè constitutum Sacramenti, quod est intrinsecè constitutum potestatis, quæ est pars huius Sacramenti, vt probatum est. sed præexistencia substantiæ panis & vini est constitutiva potestatis consecrandi hic & nunc completæ: ergo &c.

Dices. Præexistencia panis & vini tantum requiritur ad hoc, vt possit Corpus Christi poni sub accidentibus panis, & sanguis sub speciebus vini, sicut compressio uvarum requiritur, vt possit haberi vinum: sicut ergo compressio uvarum non est pars vini, ita nec præexistencia panis & vini erit pars Eucharistiæ. Respondeo, hac instantiâ probari quidem, quod præexistencia panis & vini non sint pars Corporis Christi, sed non probari quod non sint pars Sacramenti, eo modo quo peccata sunt pars Sacramenti pœnitentiæ. sicut enim ideo peccata vt præexistencia sunt pars pœnitentiæ, quia nisi præcessissent, omnibus ceteris positis non esset Sacramentum pœnitentiæ, quia absolutio careret materiâ circa quam versaretur, ita præexistencia panis & vini erunt pars Eucharistiæ, quia nisi præexistissent, omnibus ceteris positis non daretur potestas consecrandi, vt fatentur Lugo & Arriaga: deficiente autem potestate consecrandi deficit pars Eucharistiæ in ratione Sacramenti, vt superius probatum est. Sed quia in hoc puncto non potest fieri nisi altercatio Logica, ideo non est immorandum.

CONTROVERSIA VI.

An usus seu sumptio Eucharistiæ sit pars Eucharistiæ.

774. Certum est, sumptionem esse illud, quo completur virtus Sacramenti in ratione potentis proximè causare gratiam, quia est applicatio virtutis: applicatio autem virtutis reddit formaliter virtutem expeditam ad operandum, vt tradunt philosophi. Verum hoc non sufficit, vt simpliciter dicatur constituere virtutem Sacramenti, sicut applicatio ignis non dicitur constituere virtutem ignis, prout virtus contradistinguitur à conditione. Pari modo Sacramentum Eucharistiæ ejusque virtus non constituitur per

negationem obicis, & præexistenciam gratiæ in capiente, & tamen in multorum sententia præexistencia Gratia complet vltimò virtutem Eucharistiæ, vt proximè possit producere Gratiam. Questio ergo est, vtrum in ratione causæ, & non potestatis conditionis, sit pars virtutis, seu virtus panis. Affirmavit Aureolus apud Capreolum, & confirmatur multis defendere P. Dicastillo à n. 57.

DICO, Sumptionem non esse de ratione constitutiva huius Sacramenti in ratione Sacramenti. Ita communis cum S. Thoma q. 78. a. 1. ad. 3. vbi ait: Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione Materie, alia vero Sacramenta perfici in applicatione materiz ad fructificandum hominem.

Probatum Conclusio 1. ex Tridentino sed. 13. cap. 3. vbi traditur discrimen inter Eucharistiæ & alia Sacramenta his verbis. [Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cum quis illis vitur: at in Eucharistiâ sanctitatis auctor ante usum est.]

Probatum 2. ratione. Nam sicut cibus temporalis est cibus ante sumptionem, quæ tantum est applicatio illius, ita etiam sumptio Eucharistiæ, tanquam cibi spiritualis, est contradistincta virtuti illius: hæc autem virtus jam memur dicitur Sacramentum, adeo vt etiam nunquam sumeretur, nihilominus verum esset dicere, esse Sacramentum.

775. Obijcies 1. Illud est pars Sacramenti, per quod habetur ratio signi Gratia: sed per sumptionem habetur ratio signi gratiæ: ergo 2. Negando minorem. Quia iam antecesserit ad sumptionem Eucharistiæ est sufficienter legnum gratiæ, prout requiritur ad rationem Sacramenti. De ratione enim Sacramenti non est, esse signum gratiæ absolute, sed sub conditione, si non adsit obex vel impedimentum: sicut ergo peccatum existens in suscipiente non impedit, quominus Sacramentum habeat sufficientem rationem signi, licet impediatur absolutam significationem Gratia, quia tollit conditionem, sub qua Sacramentum significat gratiam, ita negatio sumptionis non impedit rationem signi sufficientem in Sacramento permanente, ad quod sufficit significare Gratiam sub conditione: si applicetur applicatio autem virtutis non est ipsa virtus, sed quidem partialis.

Obijcies 2. Si Eucharistiæ usus esset mera conditio, & non pars Sacramenti, tunc pariter dicitur posse, quod Vnctio non esset pars Sacramenti extremæ Vnctionis, sed mera conditio, ita vt hoc Sacramentum ad æquæ consisteret in Oleo benedicto, antecesserit ad omnem illius usum, sicut dicimus, Eucharistiæ esse Sacramentum antecesserit ad usum: consequens est falsum. Ergo 2. Negando paritatem. Disparitas est, quia Vnctio substat formæ Sacramentali, & est actio facta nomine Christi, adeoque habens illam dignitatem quodammodo

quodsi esset mera conditio, & applicatio, non requireretur certus Minister, & Sacerdos, imò pollet quis seipsum inungere, sicut potest sibi applicare Eucharistiam.

Virgebis cum quodam Recentiore. Saltè sumptio erit pars integralis, sicut est in Sacramento Penitentia satisfactio: ad hoc enim non requiritur, vt sit actio facta à Ministro aut nomine Christi. Ad hanc replicam, quam quidam ex

suo Magistro Hispano aliquando obicit, respondi, & iterum respondeo, negando paritatem. Quia Satisfactio ideo est pars integralis, quia subicit verbis absolutionis, & per ea significatur remissio pœna per satisfactionem obtinenda: at verò sumptio Eucharistia nullo modo significatur per hæc verba: *Hoc est Corpus meum.*



CAPVT II.

DE VNITATE ET NECESSITATE
EVCARISTIAE.

CONTROVERSA I.

Vtrum Eucharistia Sacramentum sit vnum specie infimâ.

776. **Q**uestio est, vtrum Eucharistia, pro-
ut sub vtraque specie continetur,
sit vnum Sacramentum speciei
infimæ, constatum ex duobus par-
tialibus Sacramentis, vel an sint duæ species infimæ
totales, adeoque Sacramentum Eucharistia sit
potius genus quàm species infimâ.

Dicendum, cum S. Thoma cæterisque Theo-
logis, contra Aureolum, Sacramentum Eucharistia
esse vnam speciem infimam. Conclusionem ex-
pressit Catechismus Pij V. his verbis. [Licet
duo sint elementa, panis scilicet & vini, ex qui-
bus integram Eucharistia Sacramentum significetur,
non tamen plura esse Sacramenta, sed vnum
tantum, Ecclesiasticâ auctoritate confitemur.

Probatur Conclusio. Si essent duæ species
totales & atomæ, jam darentur octo species Sa-
cramentorum: hoc autem est contra Tridentini-
um sess. 7. can. 1. dicens. *Qui dixerit, Sacra-
menta novæ legis esse plura aut pauciora quàm se-
ptem &c.* Minor probatur. Si Tridentinum
non loqueretur de speciebus infimis, sed pro Eu-
charistia numeraret genus, tunc nullâ ratione da-
mnandus esset, qui diceret, dari octo Sacramenta,
loquens nimirum de speciebus infimis, & malè
numeraret Concilium inter species infimas, divi-
dentes genus Sacramenti, vnum genus tanquam
membrum dividendi, præsertim quia ambæ species
facilè potuissent assignari.

Confirmatur. Nam hac ratione posset dici,
esse tantum duo Sacramenta, hoc est, duo genera,
vnum vivorum, alterum mortuorum.

777. Obicies 1. Eucharistia vocatur in
Collectis Missarum *Sacramenta* in plurali: vt:
Purificent nos quæsumus Domine, Sacramenta quæ sum-

psimus. R. Cum S. Thoma, Eucharistiam dici
plura Sacramenta materialiter non formaliter:
quia formaliter illa duæ species complent vnum
Convivium spirituale, & significationem refectio-
nis spiritualis completa, quæ non in solo cibo,
aut solo potu, sed in vtroque simul consistit. Est
ergo Eucharistia vnum Sacramentum vnitatem for-
mali seu Perfectionis, licet non vnitatem Elementi,
seu materialis.

Obicies 2. Eucharistia vt contenta sub spe-
cie panis, differt specie ab Eucharistia vt contenta
sub specie vini: ergo sunt duæ species infimæ.
Probatur antecedens. Illud Sacramentum differt
specie ab altero, quod significat & causat gratiam
diversam Sacramentalem in ordine ad diversa
auxilia, vt superius dictum tr. 2. Sed Eucharistia
vt contenta sub specie panis, significat & causat
diversam gratiam Sacramentalem, ab ea, quam
causat Eucharistia vt contenta sub specie vini, er-
go sunt Sacramenta specie diversa. Minor probatur.
Nam Eucharistia vt contenta sub specie
panis, habet rationem & significationem non so-
lum nutrimenti vt sic in genere, sed significatio-
nem cibi in specie. Econtra Eucharistia sub spe-
cie vini, habet rationem & significationem potus
quæ talis: atqui effectus cibi & potus sunt for-
maliter diversi. Ergo &c. R. Negando antecede-
dens. ad probationem distinguo maiorem: si si-
gnificat significatione completa, & causat gratiam
completam in ea ratione in qua ex sua institutio-
ne significat, concedo, secus nego maiorem: &
distinguo minorem. significat diversam Gratiam
significatione completa, & causat completam in
ea ratione in qua eam ex institutione sua signi-
ficat, nego: significat eam incompletam & in-
completè,

completè, in qualibet specie seorsim, transeat minor, & nego consequentiam. Dixi: *Transeat*. Nam de hoc ipso puncto est specialis controversia infra resolvenda.

778. Objicies 3. Ex nostra sententia sequitur, quòd qui accipit vnam speciem, non accipiat integrum Sacramentum Eucharistia: & quòd in sacrario non asseruetur integrum Sacramentum, vbi tantum asseruetur vna species. R. Cum Card. de Lugo, loquendo in rigore metaphysico de Sacramento totali, posse sine inconvenienti omnes hujusmodi sequelas admitti. Carterum in vulgari & communi modo loquendi, Corpus Christi sub speciebus panis appellandum est *Sacramentum simpliciter*. Responderi potest 2. cum S. Bonavent. *distinct. 11. a. 2. q. 2.* fideles accipere in vna specie totum Sacramentum quoad efficaciam cauillandi sufficientem & necessariam refectionem spiritualem, non tamen quoad significationem. Eodem planè modo responderet Suarez *disp. 39. s. 3. §. ad primum*. Responderet tamen tertio clariùs cum eodem Suarez, in vna specie accipi totum Sacramentum, intelligendo per *Sacramentum* illud, quod secundum Scholasticos & PP. est *Sacramentum & Res*, scilicet Christum, qui totus est sub quavis specie, non accipi verò totum Sacramentum, intelligendo per *Sacramentum*, id quod per eosdem dicitur *Sacramentum tantum*, vt supra explicatum est, nempe species. R. 4. Cum Card. de Lugo, eum qui sumit vnam tantum speciem, dici sumere totum Sacramentum, totalitate quam acquirit per separationem moralem vnius speciei ab altera, quæ separatio fit per sumptionem, non autem totalitate quam habet ante talem separationem, & secundum quam est terminus adequatus institutionis Christi, includens ambas species: sicut vna pars aquæ ante separationem & discontinuationem non est vna aqua totalis, est tamen per separationem, per quam acquirit totalitatem.

Objicitur 4. Denominatio totius non potest convenire parti: sed vnicuique speciei hujus Sacramenti convenit denominatio totius Sacramenti: ergo sunt duo Sacramenta specie distincta. R. 1. Distinguendo majorem: in eo sensu & acceptione *totius* in qua & secundum quam non habet rationem partis concedo, in alia acceptione totius in qua etiam habet rationem partis, nego majorem: sic, inquit Suarez, vna propositio est simpliciter oratio, & tamen est etiam pars longioris orationis, adeoque nomen *Oratio* convenit tam toti, quam alicui parti ejusdem totius. R. 2. Distinguendo minorem. Vnicuique speciei convenit denominatio totius ante separationem ab altera, quæ fit, quando vna sumitur sine altera nego: convenit post separationem, subdistinguo: convenit denominatio totius in ratione convivij pleni nego, in ratione Sacramenti causativi Gratiæ, quæ sit sufficiens refeccio spiritualis concedo minorem, & eodem modo distinguo consequens, ac declaro in exemplo vulgari. Si inferatur

mensa Gallus Indicus, dicitur esse vnus cibus, cuius vna pars est ala vel pes: si pes vel ala separatur, & in separata patina vni apponatur, fecerit dicitur illi apponi integer cibus, hoc est latius portio, non tamen cibus totus in ratione Galli Indici. Ita pariter vtraque species Sacramentalis simul juncta, est vnum Sacramentum, & vna species ab altera separata, potest etiam dici integrum Sacramentum, quatenus est sufficiens refeccio animæ, licet non sit integrum Sacramentum in ratione formalis convivij, quod dicitur cibus & potum.

CONTROVERSIA II.

An & quomodo hoc Sacramentum numero multiplicetur.

779. Loquendo de speciebus ejusdem rationis, v. gr. de speciebus panis, queri solet, & quando Sacramentum numero multiplicetur, ita vt dici possint plura Sacramenta. Revertitur autem hæc questio diversimodè secundum diversas opiniones circa Rectum & Obliquum hujus Sacramenti. Qui dicunt, solum Corpus Christi importari in Recto, consequenter dicunt, esse vnicum numero Sacramentum, quantum multiplicentur hostiæ & species. Adducunt autem ipsi pro se imprimis testimonium Scripturæ, *1. ad Cor. 10.* Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus. Secundò adducunt Ambrosium relatum in can. in *Christo de consecrat. distinct. 2.* vbi ait: [Vna hostia, non multa, sicut enim quòd vbiq; offertur, vnum est corpus & non multa corpora, ita & vnum Sacramentum] (id est victima.) Ad hæc tamen testimonium responderi facile potest, in illis considerari de exprimi id quod præcipuum est, & quod est *Sacramentum & Res*, vt paulò ante notavi, & in hoc sensu semper est vnicum; cum hoc tamen fiat, quòd in alio sensu possit dici multa.

Alij qui dicunt, præter Corpus Christi importari in Recto etiam species, fatentur, saltem inadæquatè multiplicari numero ad multiplicationem specierum, & à fortiori id ipsum docent, qui cum Vasquez putant, solas species importari in Recto. Habent autem isti AA. pro se rectum satis apertum in canone: *tribus gradibus de consecrat. dist. 2.* vbi Clemens Papa ait, tanta benedicta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere. vbi Pontifex loquitur in plurali: *Admiror*, quòd Suarez & Lugo velint hæc verba explicare, quasi Pontifex locutus esset de partibus nondum consecratis, nam oppositum coactè consequentibus: [Quodsi, inquit Pontifex, consecraverunt, cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.]

780. In hac ergo sententia, quæ communior est, physice loquendo tot dici possunt Sacramenta, quot sunt species ab invicem discontinuatione. Vt autem moraliter loquendo dicantur plura Sacramenta.

Sacramenta, non sufficit quæcunque discontinua-
tio: sicut enim qui per plures bolos absumit v-
num ferculum sibi appositum, non dicitur absum-
plisse plures cibos, sic moraliter loquendo non
dicitur Sacerdos sumere plura Sacramenta, quan-
do simul aut successivè in altari sumit plures par-
ticulas, in quas hostia est divisa, quia, ut ipse Vas-
quez fatetur, illa particule non causant nisi
vnam gratiam.

Confirmatur. Nam licet illa plures species
sint in actu primo remoto sufficientes ad signifi-
candas diversas gratias, sunt tamen adhuc indif-
ferentes, ut in actu primo proximo significant
vnam vel plures gratias, & ad hoc determinari
possunt per vnam vel diversas sumptiones. Ergo
antececedenter ad sumptionem, non habent illa spe-
cies multiplicationem moralem, desumptam à si-
gnificatione Gratia. Econtra antecedenter ad
sumptionem, habent quandoque talem conjun-
ctionem localem, ut ab illa denominentur vnum
Sacramentum, sic dicitur vnum Sacramentum esse
in sacratio, ut notat Lugo.

CONTROVERSIA III.

An Eucharistia sit necessaria necessitate
medij ad salutem, in re vel in voto.

§. I.

Explicatur differentia inter necessitatem
Medij, & Præcepti.

781. EX ijs quæ sunt necessaria ad consequendam
salutem, non omnia sunt eodem modo
necessaria, sed aliqua dicuntur & sunt necessaria
necessitate præcepti seu ex præcepto, hoc est, quæ
vincè ideo sunt necessaria, quia præcepta sunt:
ut est, auditio Missæ die Feslo, observatio Jeju-
nij &c. restitutio rei alienæ. Alia sunt necessa-
ria necessitate medij, sine quibus ex ordinatione
divina salus obtineri non potest, etiamsi omnis
præcepti violatio seponatur. ut sunt Baptismus,
Gratia sanctificans, fides in adulto &c.

Discrimen fundamentale est hoc: Necessi-
tate præcepti præcitè necessaria sunt illa, quæ ideo
debent fieri, ut evitetur grave peccatum, live, cujus
omissio esset grave peccatum, & sic poneretur obex
Gratia, & per consequens etiam saluti aternæ.
Necessitate medij necessaria sunt, quæ conducunt
ad salutem non præcisè removendo peccatum
tanquam obicem gratia, sed quia vel causaliter
vel formaliter ponitur aliquid sine quo salus ha-
beri non potest, etiamsi ommissio talis rei fieret sine
peccato, quia fortasse invincibiliter ignoratur,
vel deest copia illius: sicut alimentum est neces-
sarium ad vitam sustentandam.

Hinc autem eruitur aliud discrimen. Nam
quæ sunt necessaria necessitate præcepti tantum,
sive ex invincibili ignorantia, vel ex impotentia vn-
decuque proveniente omittantur, adeoque

omissio non sit peccaminosa, nullum quoque est
salutis impedimentum: quæ verò sunt necessaria
necessitate medij, si omittantur, quantumvis sine
culpa, adhuc ommissio obstat saluti.

782. Objicies, Non apparet, quare Baptis-
mus sit necessarius necessitate medij, & non etiam
restitutio rei furto ablata. Sicut enim Baptismus
non est necessarius, nisi disjunctivè, in re vel in
voto, ita etiam restitutio est necessaria vel in re vel
in voto: nisi enim fur rem restituat, vel reiplâ,
vel saltem habeat voluntatem implicitam illam
restituendi, non salvabitur.

Respondetur, illud saltem in sensu proprio
& Theologico dici necessarium in re vel in voto,
quod ex se & ex sua institutione aptum est causare
effectum necessarium ad salutem, hoc est, ipsam
Justificationem, ita ut ejus votum seu voluntas,
nempe dilectio Dei, in tantum conferat illum ef-
fectum necessarium, in quantum substituitur tan-
quam vicaria ipsius rei cujus est votum.

Declaratur, & ostenditur, quomodo hoc
non conveniat restitutioni & similibus. Baptis-
mus (& idem est de Sacramento Penitentia post
baptismum, si peccatum mortale commissum est)
est adulto necessarius necessitate medij in re vel
in voto incluso in dilectione Dei, non item res-
titutio furti, quia baptismus est ex se & sine di-
lectione Dei aptum medium, & ad hoc institu-
tum, ut conferat Justificationem quæ est necessaria
ad salutem. Et quia Deus hanc aptitudinem bap-
tismo ita contulit, ut tamen adulto non deesset
omne medium salutis, casu quo sine culpa deberet
carere baptismo in re, voluit hoc medium esse di-
lectionem Dei: quia verò simpliciter voluit hanc
Justificationem quæ per dilectionem Dei obtine-
tur, etiam adscribendam esse baptismo, id hoc
modo effecit. Conveniens utique erat, ut vo-
luntas reputaretur pro facto, quando factum est
nobis impossibile: porro, non quæcunque im-
plicita aut explicita voluntas baptismi placuit Deo
ut haberet prerogativam & privilegium justifican-
di, essetque vicaria baptismi, sed voluit hoc esse
speciale dilectioni Dei: restabat ergo efficiendum,
ut Dilectio Dei esset voluntas seu desiderium im-
plicitum Baptismi: non est autem Dilectio Dei
universum & ex essentia sua desiderium baptismi,
nisi baptismus sit sub præcepto: ergo necessarium
erat ut Deus baptismum constitueret sub præcep-
to: sic enim omnis dilectio Dei evadit ejus de-
siderium & votum, hoc ergo modo dicitur bap-
tismus justificare in dilectione tanquam voto sui,
& sic dicitur necessarius in re vel in voto.

783. Veniendo nunc ad restitutionem,
apparebit statim disparitas inter eam & bap-
tismum. Restitutio enim nec est apta, nec insti-
tuta ad conferendam per se justificationem, sed est
merum removens prohibens, nempe removens
materiam peccati, & voluntatem retinendi alicu-
num, adeoque est tantum causa negativa & indi-
recta. Hinc etiamsi homo justificari non possit,
nisi habeat voluntatem & votum restituendi, non
H h h h propterea

propterea rectè diceretur Restitutio iustificare in re vel in voto : nam formaliter loquendo , votum seu voluntas alicujus actionis ponenda , si daretur occasio , non potest plus operari , quàm operaretur ipsa actio cujus est votum , si ipsa actio poneretur : est enim votum actionis quasi vicarium actionis , quia voluntas pro facto reputatur : ergo si restitutio realis non est nisi removens prohibens , hoc ipso ejus votum formaliter & quò tale tantùm erit removens prohibens : ergo Dilectio Dei licèt sit votum restituendi , non tamen quatenus est votum restitutionis , sed quatenus est votum Sacramenti ex sua institutione justificativi iustificat , & per consequens ipsum Sacramentum & non restitutio dicitur iustificare in voto .

§. II.

Doctrina tradita applicatur Eucharistia.

784. Dicendum est , Eucharistiam nec in re nec in voto esse necessariam necessitate medij , sed solùm necessitate præcepti . Probatur . Si Eucharistia esset necessaria necessitate medij , vel hoc verificaretur respectu primæ gratiæ acquirendæ , vel respectu amissæ recuperanda , vel respectu perseverantiæ in gratia jam accepta . Nihil horum dici potest . Non primum aut secundum . Illud enim solum est tali respectu necessarium , quod per se & ex primaria sui institutione est medium idoneum ad primam gratiam conferendam , vel amissam recuperandam , ut præcedente §. declaratum est : atqui Eucharistia per se & ex primaria sui institutione , non est medium idoneum ad primam gratiam conferendam , aut amissam recuperandam , quia potius gratiam supponit , cùm sit Sacramentum vivorum , & ordinetur primariò ad nutritionem , quæ supponit vitam : ergo &c .

Sed neque tertium dici potest . Nam vel est Sermo de perseverantia ad breve tempus , vel ad longum tempus , vel omnino vsque ad mortem , vocaturque perseverantia finalis , sive deinde tempus sit breve sive longum . Si de primo sermo est , contra est , quia nullum existat præceptum statim sumendi Eucharistiam post baptismum aut Sacramentum Pœnitentiæ . & potest quis perseverare virtute Gratiæ acceptæ per baptismum aut Pœnitentiæ : ergo ne quidem votum Eucharistiæ est necessarium necessitate medij ad perseverandum per breve tempus in gratia .

Si verò sermo sit de secundo ; Contra est . Perseverantia diuturna non est effectus necessarius ad salutem , potest enim quis post acceptam justificationem brevi mori , vel incidere in perpetuam amentiam , & salvari : potest item brevi iterum peccare , & resurgere per pœnitentiæ , & sic sine diuturna perseverantia in gratia salvari . Debet ergo tandem esse sermo de Perseverantia finali .

Sed Contra est . Omnis effectus Sacramentalis debet aliquo modo esse infallibilis , si Sacramentum sit dignè susceptum : sed illa perseveran-

tia finalis non est effectus infallibilis in illis qui semel dignè communicarunt , ut patet . ergo perseverantia finalis non est effectus Sacramentalis qui possit necessaria necessitate medij : talis enim effectus debet omnino esse infallibilis Sacramentalis dignè suscepto : ergo à primo ad ultimum Eucharistia non est necessaria necessitate medij ad salutem .

785. Dices . Saltèm auxilia vberiora conferuntur intuitu Eucharistiæ sunt infallibilia ergo respectu horum poterit Eucharistia dici necessaria necessitate medij . R. Concesso antecedente nego consequentiam . Antecedente concedunt communiter Theologi , non quidem in sensu , quòd simpliciter & absolute infallibiter conferantur illa vberiora auxilia , licet infallibiter conferuntur Gratia sanctificans : quæ enim quis statim sumpto Sacramento mortuum Sensus ergo antecedentis debet esse , quòd concurrentibus occasionibus , & quando homo non ponit obstaculum , sed proximo quæ est , ea accipiet . Cæterum hinc non inferatur , quòd Eucharistia sit necessaria necessitate medij ad salutem , quia illa auxilia non sunt simpliciter necessaria ad salutem , quandoquidem cum solè ordinarijs , & quæ virtute baptismi aut pœnitentiæ dabuntur , salvari quis posset . Præterea illa auxilia abundantiora , quæ virtute Eucharistiæ dantur ad præservandum à mortalibus , de quibus loquitur Tridentinum *sess. 13. c. 2.* tantum infallibiter concurrunt ad salutem , scilicet ad observantiam mandatorum , adeoque removendo peccata : hic autem sermo est de effectu directe conducente ad salutem , qualem debent conferre illa media , quæ dicuntur esse necessaria necessitate medij , ut præcedente §. dictum est .

786. Objicitur 1. S. Thomas hic *2. 2. q. 84. a. 2.* ubi nostræ Conclusionis contradicere videtur . Accedente S. Thomæ expressam haberi *q. 64. a. 4.* ubi et instituto disputans de necessitate medij Sacramentorum , docet , respectu hominum singularium & in individuo spectatorum , duo tantùm esse necessaria simpliciter , Baptismum & Pœnitentiæ : respectu totius Ecclesiæ verò etiam Sacramentum Ordinis : cætera verò Sacramenta tantùm ad melius esse , seu ad facilius consequendum fiunt . In præsentem ergo articulo tertio intelligendus est imprimis non de ipso Sacramento formaliter , sed de Re Sacramenti , quæ est Vnitas Corporis Mystici , sine qua salus haberi non potest . hæc autem vnitas acquiritur per Gratiæ collatum in baptismo , & per se loquendo præcedere debet ipsi reale sumptionem Eucharistiæ , ac protinde per Eucharistiam quidem significatur , sed non creditus illius . Quia verò Baptismi susceptio est tantum implicitum seu desiderium Eucharistiæ , tantumquam finis omnium Sacramentorum , & continuationis vitæ spiritualis , ideo verissimum est , votum Eucharistiæ prout inclutum in Baptismo , esse necessarium necessitate medij ad salutem . hæc

hoc autem non sequitur, quod Eucharistia sit necessaria in re vel in voto, prout agnoscit ipse S. Thomas, dum in fine Corporis sic concludit. [Et ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.] Plura de mente S. Thomæ videri possunt apud Vasquez.

Simili ferè modo explicandæ sunt quedam locutiones SS. Patrum, præsertim S. Augustini dicentis, illa verba Christi Jo. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: hæc inquam verba dicit S. P. non tantum de adultis, sed etiam de parvulis esse intelligenda. Respondetur enim, SS. Patres ea intellexisse de manducatione spirituali & mystica, hoc est, de participatione Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit in susceptione baptismi per fidem inclusam in baptismo, quo fructus Corporis & Sanguinis Christi percipitur, & sic Christus mysticè etiam à parvulis manducatur. Hunc autem fuisse sensum illorum Patrum, colligitur ex toto contextu, loquebantur enim de participatione Corporis & Sanguinis Christi prout necessaria ad tollendum peccatum originale, quod tollitur per baptismum.

Alij Patres, vt Cyrillus & Cyprianus, locuti sunt de necessitate morali, respectu illorum, qui habent commoditatem sumendi Eucharistiam, & ex tedio negligunt.

787. Objicies 2. Eucharistia est cibus spiritualis animæ: sed cibus spiritualis non est minus necessarius animæ, quàm cibus corporalis corpori: & hic est necessarius necessitate medij: ergo Eucharistia est necessaria necessitate medij. R. 1. Hoc argumento nimium probari: probaretur enim quod Eucharistia esset necessaria necessitate medij in re, & non vel in re, vel in voto. quod manifestè falsum est. R. 2. directè negando paritatem: quia vita spiritalis, vtpote consistens in Gratia sanctificante, potest alijs medijs conservari, neque in allegorijs & symbolis debet omnimoda paritas quoad omnia prædicata requiri, alioquin sicut cibus corporalis debet converti in substantiam Corporis aliti, ita cibus iste spiritalis deberet converti in substantiam animæ alita.

Objicitur 3. Effectus Eucharistiæ specialis est Resurrectio gloriosa corporum, dicente Christo: *Ego resuscitabo eum in novissimo die.* R. Cùm parvuli sint resurrecturi, qui nunquam sumperunt Eucharistiam, intelligendum est, quod sit maxima congruentia resurrectionis, quæ desumitur ex reali conjunctione corporis nostri cum Corpore Christi in Eucharistia; hinc enim congruenter inferitur, quod etiam gloriam corporis sumus cum Christo habituri.



CAPVT III.

DE MATERIA REMOTA EVCHARISTIÆ PANE ET VINO.

CONTROVERSI A I.

Qualis Panis, & quale Vinum requiratur.

788. **P**ANEM & VINUM esse materiam hujus Sacramenti, constat ex sex Concilijs apud Suarez, maximè autem ex Florentino, vbi hoc clarè definitur: & quidem in specie, quod sit panis triticeus, quæ non tantum est necessaria necessitate præcepti, sed quæ est necessaria necessitate Sacramenti. Vnde sententia Cajetani (prout ei tribuitur à Dominico Soto, fortassis enim vocabulum *Fruentum* strictius vsurpavit) volentis sufficere panem ex quocunque frumento, graviter notatur à Theologis, & est suppressa & expuncta in editione Romana, aliisque posterioribus.

Quia verò Triticum paulò latiùs patet, quàm illa nobilissima species ex qua fiunt Semellæ, & à Germanis *VVAizen* vocatur, ideo videndum est, quænam aliæ species vel quasi species frumenti sufficiant.

Dicendum 1. Non solum Triticum pressè sumptum, sed etiam aliæ species vel quasi species, quæ cum illo maximam similitudinem & cognationem habent, tam similitudine naturæ, quàm communi hominum vsu, esse materiam idoneam ad validam consecrationem. Dico ad validam. Nam communiter monent DD. quod quando possunt haberi hostiæ ex tritico pressè sumpto, non debeant adhiberi ex farina inferioris notæ, propter majorem certitudinem. Ità docet S. Thomas q. 74. a. 3. ad. 2. Quibus autem vocabulis latinis illæ species exprimantur, non conveniunt Auctores, imò nec ipsa Lexica. *Siligo* olim significabat triticum pressè sumptum, hoc est speciem nobilissimam; jam verò ab aliquot centenis annis communi vsu significat idem quod Germani vocant *Rocken*, & inde conficitur panis nigrior, sed tamen etiam in mensis minorum

H h h h 2

& nobi-

& nobilium vltatus & quotidianus. ac praterea etiam quoad ipsam naturam non videtur differre specie physicâ à Triticis prestè sumpto, quia vt S. Thomas testatur, in terris debilibus ex semine boni tritici nascitur siligo, & econtra testatur Ariaga, quòd eadem siligo in terra fertiliore reddat triticum, vt in Hungaria passim, & in quibusdam Hispania terris. De Siligine ergo non potest prudenter dubitari, esse materiam sufficientem.

Quod de Siligine dictum est, idem & à fortiori dicendum videtur de Spelta, Germanicè *Fesen* seu *Kern*, quod quidem negavit S. Thomas, sed fortè in alia significatione accepit. Nam ex Spelta fit panis simillimus pani triticeo, & licet dum granum est inclusum palea, fit similius hordeo, paleam tamen facillimè dimittit, & granum semper est duplex, & gerit formam tritici, èstque panis melior siligineo.

Denique quod de Siligine dictum est, extendunt etiam DD. ad illam speciem quam Germani *Dinkelkorn* vocant, aliqui volunt latinè dici *Far*, quod tamen vocabulum apud Calepinum est genericum, sed non est novum, nomen genericum speciei applicari.

Econtra certum est, Hordeum, Avenam, Orizam, Milium, Fabas, Cicera, Pifa, & similia legumina, etiam si soleat quandoque inde panis fieri, non esse tamen huiusmodi panem consecrabilem, quia non est panis triticeus, in quo tanquam visitato tunc temporis & loci Christus instituit Eucharistiam.

789. Objicies. Sacramentum Eucharistiae institutum est pro toto genere humano, & vt ubique gentium celebraretur: ergo materia illius talis esse censenda est, quae ubique gentium reperitur: atqui non ubique reperitur panis triticeus, quamvis ubique reperitur aliquis panis: ergo videtur in illis locis sufficere illa materia, ex qua ibi panis conficitur. R. Negando consequentiam, alioquin etiam inferendum esset, posse consecrari calicem non in solo vino de vite, sed etiam in quibusdam liquoribus, qui alicubi locorum sunt loco vini, quod nemo prater quosdam haereticos dicere vnquam ausus est. Caterùm, in hoc puncto potius admiranda est divina Providentia, quae Vniuersum ita disposuit, vt ubique Terrarum, etiam vbi Triticum & Vinum in proprio solo non crescit, aliunde tamen in ea copia afferatur, quae ad celebrandum hoc mysterium sufficiat.

Panis debet esse coctus ex aqua naturali, non ex alio liquore, v. g. butyro, oleo, lacte. Ita S. Thomas & omnes PP. apud Sylvestrum in Summa. v. *Eucharistia*, ac ceteri omnes DD. nisi quòd Cajetanus, si iterum Soto credimus, hoc in dubium revocet, imò in contrariam partem fluctatur, vt loquitur Soto. Ratio Conclusionis est, quia de constituti vo panis vsualis est aqua naturalis, & in hoc puncto plaris faciendâ est constans observatio & auctoritas, quam rationis paritas,

alioquin via aperiretur multis temerarijs assertionibus circa hoc & alia Sacramenta. Vnde et Ariagam laudo, quòd Cajetanum securus censent esse probabile, quòd panis lacte & non aqua factus, sit materia idonea consecrationis.

790. Dicendum 3. Non solum panis immisus, sed etiam fermentatus est materia idonea quoad valorem consecrationis. Conclusionem probat praxis Ecclesiae Graecae & Latinae. In Ecclesia latina ex praecepto Ecclesiastico debet adhiberi panis azymus. Estque hoc fundatum in veteri sententia, Christum 14. Mensis Lunaribus instituit hoc sacramentum, quae est questio ad hanc pertinet. Fuit autem decimaquarta prima dorozyorum Ecclesiastica, hoc est, post solis occiduum panis azymus erat in antiquo Testamento sub precepto: ergo Christus in azymo hoc sacramentum instituit. Neque probabiliter habet, quod Christus (opinione Graecorum) vno die praevenit solennitatem Paschalem, eò quòd illud dei celebraverint die Veneris, Christus autem die Jovis.

Nihilominus Graecis ob suam opinionem historicam permittitur ab Ecclesia Romana consecratio in fermentato. Et quidem Graeci non minus obligantur ad consecrandum in fermentato, quam Latini in azymo, quam diu vnusquisque sua Ecclesia domicilium retinet. Itaque Christus neutrum determinatè instituit cum alterius exclusione, sicut nec excludit vinum rubrum, etiam si fortè consecraverit in albo, vel ecconu.

791. Dicendum 4. Materia consecrationis Calicis est vinum de vite. Ita definitum est in Florentino, quod tamen non est secundum litteram accipiendum, quasi de essentia sit, quod vinum verè in vite creverit: nam vinum in Campa Galilaeae productum ex aqua, vique fuit consecrabile: sufficit ergo, & requiritur, vt sit eius naturae & speciei, vt naturaliter non nisi ex vite haberi possit. Pontifex enim per illa verba: *ex vite*, solum excludere intendebat vina quaedam improprie dicta, vt ex pyris, pomis, granatis, radicibus; imò & loram, hoc est, aquam caecum jam in torculari expressis affusam, quam papaveres & mercurarij loco vini bibunt.

792. Dubitatur 1. de Musto. R. Ex doctrina communi esse materiam validam, imò de in casu necessitatis permissam. *c. cum anno de Consecr. dist. 2.* Revera enim est & vocatur Vinum Lucae 5. *Nemo mittit vinum novum in vasa vetera.* Jerem. 48. *Vinum de torcularibus sustuli.* Ex pietate cum Musto deducunt recentiores Theologi etiam succum ex uvis passis expressum esse consecrabilem, quia talis succus à musto non differt, quòd huius grana sint recentia, illius verò siccata. Huiusmodi autem succum habere veram rationem vini (contradicente licet P. Andrea Mendo) iudicant viri peritissimi apud Dianam p. 7. v. *Miscell. resol.* & confirmatur: quia aegyptij vinum succo ab uvis expresso, & in eo consecratur, vt affirmant Genebrardus, Fagundez, Franc. Alvarez, qu

qui dicit se fuisse testem oculatum, vt refert Gabr. Henao. 1. p. de sacrif. Missæ. d. 4. s. 4. n. 12. Hinc defendi potest praxis cuiusdam Ecclesiæ celebris in Germania (vt mihi quidem relatum est, nescio an ex vero) in qua solent Sacerdotes nocte Natiuitatis, in reverentiam festi, consecrare in vino Hispanico, prout Augustæ Vindelic: venditur, de quo asserunt viri fide dignissimi, illud non esse vinum ex Hispania allatum, sed ex uvis Hispanis expressum succum, vtique cum affusione alicuius vini Germanici. Ego tamen talem consuetudinem nunquam probarem, quia constat, vina huiusmodi corrumpi per admixtionem mellis vel malsi. Sed de hoc viderint illi, qui illi Ecclesiæ præsent, si vera est relatio, & adhuc viget illa consuetudo, de qua mihi non constat.

793. Dubitatur 2. De Aceto. R. Si sit verum acetum, & non vinum fugiens seu acescens (de quo videtur esse locutus Alexander Pontifex & glossa in can. 2. de Consecr. dist. 2.) non esse materiam validam, quia non est vinum vsuale, quidquid sit an physicè differat vel non differat specie à vino.

Dubitatur 3. De vino congelato. R. cum communi contra Armillam, Ledesmam, & Vasquez, esse materiam validè consecrabilem. Non enim obstat, non esse proximè potabile; nam etiam panis durissimus non est proximè manducabilis, & tamen consecrabilis. Imò Lugo observat, quòd quis ejusmodi glaciem per bolos sumendo, non frangeret jejuniū, & ideo potum potius quàm cibum sumpsisse dicendus esset.

794. Dubitatur 4. De succo adhuc existente intra folliculum clausum, an sit consecrabilis. Richardus apud Vasquez iudicat probabilem quorundam opinionem affirmativam. Communis tamen & vera sententia est negativa, quæ proinde ob auctoritatem certior est, quàm sit ejus probatio. Omnis varijs rationibus minùs efficacibus, illa mihi semper optima visa est, quòd uva, dum est munita clausurâ naturali, vi cuius est retentiva ipsius succi, tanquam instrumenti domesticæ, servientis ad fovendum semen, quòd inquam in hoc statu non veniat nomine *Vini* aut *Potus*, sed potius nomine *Cibi*: Vnde ex communi sententia frangeret jejuniū, qui comederet uvam in majori quantitate, quàm quæ est licita die jejuniij, quòd tamen non frangeret, si tantundem multi biberet. Neque dicas, ideo frangi jejuniū, quia pellicula sumuntur, nam etiam absque his assumptis frangeretur jejuniū, si intra os expressæ abjicerentur, vt observat Arriaga.

Neque refert, quòd physicè loquendo idem sumeretur in vno atque in altero casu in quo multum biberetur. Nam in istis materijs non attenditur ratio purè physica, sed simul etiam moralis, nimirum modus sumendi, fundatus in ipsa natura Uvæ integræ, quæ à natura talis est, vt non ad modum potus, sed ad modum cibi sumi soleat & possit.

Ratio ulterior est, quia nomen *Vinum* significat liquorem in ratione vnus totius, seu vt ali-quod totum per se, & non vt partem aliqujus totius: dum autem uva est integra, succus seorsim consideratus nondum est vnum totum, sicut est vinum in dolio, sed est adhuc pars physica, & physicè vnita ceteris partibus cum quibus facit vnum totum per se, nempe cum pellicula & pedunculo: vnde sicut non potest dici: hoc est sanguis; designando hominem, ita non potest dici: hoc est vinum, designando uvam, cum tamen rectè dicamus, hoc est vinum; designando dolium, vt observavit Cenink.

In hoc ipso sensu videtur S. Thomas dixisse, uvam integram non posse consecrari. ergo tacitè supponit, quòd si non essent amplius integræ, possent consecrari: ergo integritas facit, vt ille succus non habeat rationem potus, & vini. Item Suarez dicit, quòd si uva acu pungeretur, & exiret succus, licet adhuc continuus cum reliquo succo, & mediàtè cum pellicula, quòd inquam posset consecrari, vtique non ob aliam causam, quàm quia integritas est sublata, vi cuius natura uva adhuc continebat succum: ergo *Vinum* significat succum in eo statu positum, quo natura non amplius amat illius continentiam intra pelliculam.

CONTROVERSIA II.

Ex quo præcepto aqua sit vino admiscenda.

786. Conveniunt Catholici 1. Vino ante consecrationem rectè misceri aquam, quod negarunt Armeni, reprehensi in Concilio Florentino, idemque tenent hæretici nostri temporis. Ratio sententiæ Catholica est exemplum Christi, quidquid dixerit VValdensis. Nam S. Jacobus in sua Liturgia sic habet. [Similiter postquam canavit, accipiens calicem, & permiscens ex aqua & vino, & aspiciens in calum, ac ostendens tibi Deo & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis discipulis suis dicens, &c.] S. Marcus sic: [Factaque vini & aquæ commixtione] S. Jeronimus statim post tempora Apostolorū scribens, sic habet: [Dominus temperamentum Calicis suum sanguinem confirmavit] Concilium Carthaginense tertium, cui S. Augustinus interfuit, præcipit can. 24. vt in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.

Dux sunt præterea significationes hujus mixtionis. Prima est, ad significandum, quòd de latere Christi fluxerit sanguis & aqua. Secunda, ad significandam vnionem Ecclesiæ seu populi cum Christo, & Humanitatis cum Deitate.

Conveniunt DD. secundò, hanc mixtionem non esse de Necessitate Sacramenti, quasi absque ea purum vinum consecrari non possit. Op-

H h h 3 positum

positum tamen sentit Armacanus, persuasus difficilibus verbis S. Cypriani. Sed ceteri omnes consentiunt S. Thomæ, idque colligunt ex Florentino dicente, Materiam Calicis esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet: quibus verbis indicat, mixtionem hanc esse solum de præcepto, alioquin debuisset Armenos monere de invaliditate consecrationis eorum, quod tamen non fecit, sed tantum reprehendit, quod ab universali Ecclesiæ observantia discrepent. Tridentinum verò clarius adhuc dicit sess. 22. c. 7. præceptum esse ab Ecclesiæ Sacerdotibus, ut aquam vino miscerent.

Cyprianum verò explicat S. Thomas, quod solum locutus sit de necessitate præcepti, neque comparationem, quam inter vinum & aquam instituit, procedere quoad gradum necessitatis. Alij addunt, eum disputasse contra Aquarios solam aquam adhibentes, quibus quasi permitiendo, aquam esse de necessitate Sacramenti, voluit insuper persuadere, non minus necessarium esse vinum.

796. Ego, salvo aliorum iudicio, paulò aliter interpretarer S. Cyprianum. Verba illius hæc sunt. [Calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi utrumque miscetur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola & aqua, nisi utrumque scilicet farina & aqua fuerit adunatum.] Horum verborum sensus legitimus contra Aquarios, volentes aquam solum seorsim consecrari posse, hic mihi esse videtur. Sicut farina, nisi per aquam adunetur, non est consecrabilis, quia non est panis, ita aqua, nisi vino miscetur, non est consecrabilis, quia sine hac mixtione non accipit denominationem vini. Solum ergo voluit dicere S. Cyprianus, non valere consecrationem quoad utrumque liquorem, si quis aquam & vinum seorsim consecrare vellet. Quod enim secundum S. Cyprianum consecratio vini puri valeret, colligitur ex alijs eiusdem verbis, quæ habet lib. 2. ep. 3. [Si aliquis, inquit, de antecessoribus nostris, vel ignoranter vel simpliciter non observavit, ut aquam vino misceret in Sacramento, potest simplicitati eius venia concedi.] Quibus verbis admittit, posse aliquem præsumi, præceptum mixtionis ex simplicitate non observasse, præsertim si præceptum non est divinum, sed humanum: nemo verò præsumeretur ignorasse essentialia.

Exemplum Christi non probat, hanc mixtionem esse de necessitate Sacramenti. Non enim præcepit Christus omnia quoad omnes circumstantias fieri sicut ipse fecit, ita ut vnâ non observatâ non fieret Sacramentum, alioquin vel Græci vel Latini non consecrarent Corpus Christi.

797. Quaritur, an hæc mixtio sit præcepti divini an humani. R. Mixtionem aquæ non esse necessariam nisi ex præcepto humano. Ità communiter tenent Theologi contra Alexandrum Hofium, Henriquez, Valentiam, Aresium. Probatur 1. Quia hoc videtur supposuisse Eugenius,

quando Armenos reprehendit, quod ab universali consuetudine recederent. atqui non dicuntur hoc ex universali consuetudine Ecclesiæ, quæ fuerit præcepto divino. Probatur 2. Auctoritate Concilij Tridentini, quod dicit, hanc mixtionem Ecclesiæ præceptam esse. Quodsi PP. Concilium agnovissent præceptum divinum, non debuissent illud dissimulare, & solius præcepti humani mentionem, aniam præbere Doctoribus Ecclesiæ, agnoscendi solum præceptum Ecclesiasticum, ut eoque in Ecclesiæ esse potestatem, abrogandi hanc mixtionem.

CONTROVERSIA III.

Verum ad hoc, ut aqua convertatur in sanguinem, prius convertatur conversione physica in vinum, an potius immediate, sicut vinum, convertatur in sanguinem.

798. Quandoquidem aqua est admiscenda vino, & certum est vinum per consecrationem converti in sanguinem, quaritur, an aqua etiam post consecrationem maneat quoad substantiam aquæ sine sui conversione, vel an potestate vini cui admiscetur, convertatur physice in vinum, & sic evadat materia consecrationis, vel denique an ipsa aqua etiam non convertita in vinum, immediate vi verborum consecrationis convertatur in sanguinem.

Prima sententia docet, aquam non potest immediate converti in sanguinem, sed vel prætere aquam, etiam post consecrationem, vel potest converti physice in vinum, & deinde per consecrationem in sanguinem. Ità Thomæ communiter, quos sequuntur ex nostris Suarez, Viquez, Tannerus, Gaspar Hurtadus, Amicus, Ariaga. & fuit hæc opinio communis apud antiquos, quam etiam tenuit Scotus, Bona ventura, alijque S. Thoma videbimus.

799. DICO, probabilis esse, etiam non conversam in vinum, vi consecrationis immediate converti in sanguinem. Hanc sententiam tenent quatuor Cardinales, Alanus, Toletus, Baronius, Lugo. præterea Jansenius Episcopus Gandavensis, Paulus Aresius, Pefantius, Petrus Sotus, Camerarius, Diana, Salmeron, Henricus Conimbricæ, Scriverius, Præpositus, Layman, Conink, Dicaillillo. Recentissimè P. Martinus Esparza, quamvis utraque sententiam problematice defendi posse putet, tamen, se plusculum inclinare ad majorem istam, se plusculum inclinare ad nostram sententiam, inquam probabilitatem hujus nostræ sententia, non dat autem hanc majorem probabilitatem vana principio philosophico, relicto argumentis Theologicis, existimans, auctoritates Patrum substantius ter potius & contentiosè quàm nervosè expellat in quo ego huic auctori nequitiam alleceat.

Itaque

Probatur

Probatu'r Conclusio 1. Auctoritate Patrum hoc modo. Si non solum substantia vini, sed etiam aqua vino admixta asseritur à Patribus esse Materia Calicis & consecrationis, tunc secundum eosdem aqua existens in calice tempore consecrationis transit immediatè in sanguinem: sed verum est antecedens: ergo & consequens. Sequelam admittunt adversarij, & ratio est, quia illud solum dicitur materia consecrationis, quod per consecrationem convertitur, adeoque immediatè. Minor verò probatur. Illud omne secundum SS. Patres est Materia Calicis, quod dicitur offerri, benedici, consecrari &c. sed aqua dicitur à SS. PP. offerri, benedici, consecrari &c. ergo aqua est Materia consecrationis secundum SS. PP. Major est certa, nam ut advertunt DD. illa omnia apud SS. PP. pro synonymis habentur. Minor probatur. S. Iustinus circa annum post Christum natum 150. Apologia 2. ad Antoninum Pium prope finem sic scribit. [Ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, atque cibus hic apud nos Eucharistia vocatur.] Ecce! non minus aqua quam vinum & panis dicitur distribui & consecrari, quod falsum esset, si prius deberet in vinum converti. S. Irenæus eodem ferè tempore lib. 4. c. 57. [Temperamentum, inquit de Christo, calicis suum sanguinem confirmavit, & lib. 7. c. 2. Quando mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & Corporis Christi.] S. Hieronymus in c. 14. Marci: [Formavit, inquit, sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis, & panis purgemur à culpis, alio redimamur a peccatis: sanguine namque Agni servatur domus à percussione Angelij, & aqua maris rubri extinguuntur inimici.] S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. c. 4. & refertur Can. 55. de Consecr. dist. 2. [Ante verba Christi calix est vini & aqua plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.] S. Augustinus lib. de bapt. ut refert fide dignissimus Gaufredus Monachus Clarevallensis doctissimus, in Epist. ad Card. Albanensem, sic habet. [Vnde & aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione Verbi Cælestis.] quæ verba vel temporum injuriâ vel alio cuius fraude perierunt, sed aliquando exstitisse suadet auctoritas Gaufredi, & sunt sanè clarissima. S. Joannes Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei c. 14. [Quid tandem afferri potest, quin ex pane Corpus, ex vino & aqua sanguinem suum efficere queat? & infra. Panis autem vinum & aqua per S. Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.] Theodoretus Dial. 1. in Mysteriorum traditione Deus corpus appellavit & sanguinem id quod in calice infusum & commixtum est. Paschasius Abbas ante 800. annos de Corpore & Sanguine Domini sic habet. [Vnde licet prius mysticè vinum & aqua commisceantur, post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur. &

paulò post, aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem.] Plura videri possunt apud Aresium & Dicastillo, quæ mihi certò persuadent; illorum Patrum tempore sensum communem in Ecclesia fuisse, nunquam aquam remanere in Calice consecrato, etiam quando immediatè prius est infusa, aut ob vini debilitatem non potuit converti in vinum, sed vi consecrationis immediatè converti in sanguinem: alioquin qui fieri potuisset, ut nullus eorum monuisset, aquam prius esse convertendam in vinum? cur ita rotundè pronuntiassent, nihil bibi nisi sanguinem, aquam non minus quam vinum converti in sanguinem?

800. Ad hæc testimonia respondent adversarij, illos PP. dicere quidem, aquam converti in sanguinem, sed intelligendos esse, quòd mediatè, & per se loquendo ac regulariter ita contingat. Verùm quàm violenta sit hæc interpretatio, deprehendet, qui verba sincere ponderaverit. & quidem hanc responsonem non posse aprari verbis S. Ambrosij & Damasceni (æquè parum verbis S. Augustini) fatetur ex Adversarijs Suarez, cum dicant, aquam manentem vsque ad consecrationem converti. atqui ceteri PP. in eodem sensu locuti esse censendi sunt, etiam si non ita disertè & reflexè id dixerint, juxta regulam quæ usus est Bessarion Theologus in Concilio Florentino, probans Processionem Spiritus Sancti à Verbo, quia scilicet Patres aliqui id clarè docent, quare ceteri obscurius loquentes sunt secundum illos intelligendi. Deinde, quis sana mentis sibi persuadeat, illos omnes Patres tanquam indubitatum supposuisse, vino competere vim physicam convertendi in se aquam: cum hoc celeberrimos Philosophi & Physici semper negaverint, ut tradit Innocentius III. in cap. cum Marthæ mox referendo?

Confirmatur. Patres indubitatè tradiderunt, aquam aliquando converti in sanguinem, prout fatentur adversarij: atqui si vino non competit virtus convertendi in se aquam, nunquam aqua converteretur in sanguinem: ergo si Patres non supposuerunt hanc vim inesse vino (sicut non potuerunt prudenter supponere quod semper dubium fuit) illorum intentio fuit asserere, aquam converti in sanguinem, quidquid esset de illa virtute vini, daretur an non. ergo suam doctrinam non fundarunt in principio philosophico adeo dubio, & probabilius falso, sed in virtute verborum Christi, illiusque institutione, adeoque vi consecrationis converti in sanguinem. Quapropter dum adversarij respondent, Patres abstraxisse an aqua convertatur mediatè vel immediatè, non subterfugiunt eorum auctoritatem vilo modo, quia jam fatendum est adversarijs, quòd Patres agnoverint vim convertendi aquam in sanguinem immediatè, saltè conditionatè, si non possit prius converti in vinum: atqui si hoc possit siue non possit fieri, non minuitur nec augetur virtus consecrationis: ergo si vi consecrationis

tionis potest converti immediatè, casu quo vino non inest talis virtus, etiam poterit converti, casu quo quidem inest, sed ob temporis brevitatem nondum actu convertit. Et quia hic casus admodum frequens est, non debuissent Patres ita univèrsaliter loqui, si tantum mediatam conversionem agnovissent. Et hæc circa auctoritatem Patrum, quæ vtrum nervum habeant, viderint alij, mihi tam nervosa videntur, ut plus non considerem.

801. Probatur Conclusio 2. Auctoritate Concilij Florentini, hoc modo. Si Christus Dominus instituit Eucharistiam in vino & aqua, tunc non solum vinum, sed etiam aqua est materia consecrabilis in sanguinem: sed verum est antecedens: ergo & consequens. Major est clara: nam ideo dicitur Panis esse materia Eucharistia: & vinum similiter, quia Christus in illis instituit: ergo idem de aqua inferre licebit. Minor habetur in Florentino, ubi Pontifex dicit: [aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia Patrum & Doctorum Ecclesiæ creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum.]

Probatur 3. Exemplo Christi. Si Christus (cui æquè facile fuit aquam ac vinum convertere in sanguinem) voluisset solum vinum convertere, aquam verò non nisi prius conversam in vinum, debuisset tanto temporis intervallo aquam prius miscere vino ad Apostolorum instructionem, ut aqua posset à vino in vinum converti: sed hoc Christus non fecit: ergo voluit aquam non minus quàm vinum immediatè convertere. Major est mihi certissima, & vana prorsus est suspicio Arriagæ, quòd fortè Christus miraculòtè prius aquam in vinum converterit: quidni enim pari divinandæ licentiâ diceret alius, defacto semper id miraculòtè fieri, quando tempus convertendi nimis breve est? Equè parùm credibile est, Christum, quando dixit Apostolis: *Bibite ex eo omnes. hic est enim &c.* porrexisset Apostolis unà cum suo sanguine aquam; habuerunt enim Apostoli ex verbis Christi causam cogitandi, quidquid liquoris in calice esset, esse sanguinem Christi. Minor ergo argumenti probatur. Nam Christus brevissimâ morulâ ante consecrationem calicem miscuit: primò enim S. Jacobus verbis suprâ relatis, totam seriem actionum Christi per participia referens, significat, vno tractu illas actiones fuisse peractas, videlicet mixtionem, oculorum elevationem, ostensionem Patri Cælesti, gratiarum actionem, benedictionem, consecrationem, & traditionem. 2. S. Marcus in sua liturgia sic loquitur. [Similiter & calicem postquam canavit accipiens, factaque vini & aqua commixtione, suspiciens in Cælum ad te Patrem suum, Deumque nostrum & Deum univèrsorum, gratias egit, benedixit, Sanctificavit, implevit Spiritu Sancto, & tradidit.] quis hinc sibi persuadeat, Christum his actionibus mediam horam impendisse? quæ tamen vix sufficeret ad physicam conversionem, præsertim cum

Christus non exiguum guttulam infunderet, vnde dicit S. Basilus in sua liturgia dicens: *Mixta aquis.*

802. Probatur 4. Ex praxi quam præbit Ecclesia in Rubricis Missalis Romani, ubi agens de defectibus concurrentibus, statuit, ut celebrans ante consecrationem advertat, utrum non esse appositam, ut statim apponat & consecret: item si deprehendat etiam post hostiam consecratam in calice non vinum, sed aquam fuisse, admixtam vinum cum aqua, & statim consecret. In his ergo eventibus aqua non convertitur physice in vinum ante consecrationem, ut fatentur ad verum ergo vel manet mixta sanguini, vel convertitur immediatè in sanguinem. Non primum quia non præciperet Ecclesia affundi aquam, si panis non esse in sanguinem convertendum, quoniam non apponitur caeremoniæ solius causâ, sed materia calicis.

Confirmatur. Ponamus in die Nativitatis Domini in prima Missa ante consecrationem vertere Sacerdotem, se non affuisse aquam, deinde juxta rubricam eâ affusâ statim consecratum, quo casu aqua non convertitur in vinum: ergo si non convertitur immediatè in sanguinem, Sacerdos non erit ampliùs jejunos: ergo non poterit secundam Missam facere: quòd tamen nec adversarij audent asserere. Responderet Arriaga, in tali casu censeret Ecclesiam dispensatam. Sed contra est, quia cum hæc dispensatio nullibi cta legatur, & ex mera presumptione asseratur, poterit alius Sacerdos, qui deprehendit post consecratam hostiam se loco vini aquam infuisse, de præcepto Ecclesiæ iterum calicem consecrare, poterit, inquam, etiam presumere dispensationem, & secundam Missam celebrare, quòd nemo concedit. ergo nec in priore casu concedendum est.

803. Probatur Conclusio 5. ex significatione, quam in hoc Sacramento semper agnovit Ecclesia, & ipsi adversarij fatentur. In hoc inquam, Sacramento præter significationem primariam, ad sunt alia, quæ quidem non sunt de necessitate Sacramenti, sed tamen sunt intentæ, nempe illa quæ fiunt per admixtionem aquæ: significatur enim conjunctio populi cum Christo, aqua enim populum significat, Apoc. 17. Porro hæc significatio non adest antequam consecratur Sacramentum, est enim significatio ipsius Sacramenti, ut advertit Alexander Aletis p. 4. q. 10. membr. 4. a. 1. dub. 5. [Quantum, inquit, ad plenitudinem sive perfectionem esse Sacramentis, consecratur aqua, & est de substantia Sacramenti, quoniam aqua admixta etiam si habeat Sacramentum effectum suos quantum ad esse spirituale, non tamen quantum ad esse sacramentale sive significativum.] S. Thomas 3. p. 9. q. 74. a. 7. [Appositio, inquam, aquæ ad vinum, refertur ad significandam participationem hujus Sacramenti à fidelibus, vnde participationem hujus Sacramenti à fidelibus, vnde participationem hujus Sacramenti non est de necessitate Sacramenti, sed est aliquid consequens ad Sacramentum.] Hoc sed est aliquid consequens ad Sacramentum. Si aqua debet admixta, posito sic argumentor.

ut ejus species sit pars Sacramenti, tunc aqua non debet prius converti in vinum: ergo debet immediatè converti in sanguinem. consequentia patet. antecedens probatur. Si enim aqua convertitur in vinum, hoc ipso species indicativa aquæ non amplius adsunt, sed solummodo adsunt species vini, certè non adsunt species aptæ ad indicandam naturam aqueam, esto paucula quedam accidentia maneant, quæ possint æquè cum forma vini ac cum forma aquæ consistere.

Confirmatur à paritate cum materia *Confirmationis*, quæ est balsamum oleo mixtum, de qua docet Suarez, quòd si adeo vetus sit, ut odorem balsami amiserit, non foret apta Materia Confirmationis. Subsumo. atqui si aqua convertitur in vinum, perierunt etiam accidentia indicativa aquæ, sicut in casu posito perierunt accidentia indicativa balsami, quod miscetur oleo, sicut aqua vino: ergo quatenus aqua requiritur ut Materia Sacramenti, jam non adesset amplius materia perfecta tota. Paritas eò tendit, quòd aqua manens aqua sit pars materiæ idoneæ Eucharistiæ, sicut balsamum est pars Materiæ Confirmationis.

804. Probari solet nostra Conclusio 6. ex principio philosophico, quòd non possit aqua naturaliter converti in vinum, quæ est sententia communior philosophorum, quam videtur tenere Aristoteles 1. de Gen. c. 10. tex. 34. lib. 14. *historie Naturalis* c. 35. Philo Hebraeus de confusione linguarum circa finem, quos communiter sequuntur Medici & Chymici, quibus in arte sua prudenter creditur, esto rem non omnino demonstrent, & eorum judicium præferendum est paucis contrariis opinantibus. Rationem illius opinionis philosophicæ paucis refert Card. de Lugo. [Vinum, inquit, licet non sit substantia vivens, est tamen succus substantiæ viventis, elaboratus intra uvam per virtutem nutritivam, sicut sanguis elaboratur in jecore animalis: quare sicut sanguis separatus non habet virtutem ad transmutandam substantialiter aquam in similem substantiam, sic nec vinum separatum ab uva.]

P. Arriaga contemnens hoc argumentum, respondet, hæc magis concionatoriè quàm scholasticè dici. Optandum erat, ut Arriagà magis scholasticè respondisset aut probasset oppositum, & non consuetà probatione negativà, *Non repugnat.*

Confirmari solet Opinio illa philosophicæ ab experientia, quæ chymici ex vino lymphato extrahunt aquam, vnde inferunt, aquam puram ibi existisse permixtam vino. Hæc tamen experientia non multum virget: dicunt enim adversarij, etiam ex vino non lymphato extrahi humorem aqueum. Respondent insuper cum Alberto Magno, ligna naturæ aqueæ, utpote nata in aqua, attrahere ad se partes vini magis degeneres & aqueas, easque convertere in aquam. Quidquid sit de his, non immeritò concludit Arriagà, illam sententiam in quæstione theologica meritò cæteris præferri, quæ philosophorum jaculis &

criminationibus minùs exposita est. talis autem est nostra, quæ cum quocunque philosophorum placito cohæret.

805. Probatur Conclusio 7. Si aqua nunquam immediatè converteretur in sanguinem, sequeretur, sæpè aquam mixtam sanguini Christi, adorari à populo adoratione latriæ, quia totum illud adoratur, quod in Calice proponitur.

Hoc argumentum, quasi à P. Conink excogitatum esset, ridet Reverendissimus D. Hyacinthus Petronius, Magister Sacri Palatii. Sed P. Conink poterat illud accepisse à S. Thoma q. 74. a. 8. in C. Verba sunt hæc. [Quidam dicunt, quòd aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento altaris post consecrationem NB, nihil est nisi corpus & sanguis Christi, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ.] Hæc S. Thomas.

P. Arriaga respondet, hoc argumentum non virgere quidquam, alioquin si fuisset ibi Musca, etiam illa transisset in sanguinem, ne scilicet adoraretur cultu latriæ. Sed hæc Musca facilè abigitur, cum nulla sit paritas. Aqua enim miscetur ex intentione ut fiat materia adorationis, & intentio populi fertur in omne & solum illud, quod constituit illum potum in Calice, quod quidem facit aqua, non item musca.

Approbat argumentum P. Esparza. Ecclesià præcipit, ut aqua miscetur vino immediatè ante consecrationem, si fortè prius non fuerat infusa, quo casu aqua non convertitur in vinum, & tamen etiam tunc verba consecrationis & adoratio fidelium feruntur indiscriminatim ad totum mixtum: nec de discretione intentionis, quæ consuleretur periculo falsæ significationis verborum vel adorationis, existat vllum præceptum aut documentum, quod tamen opus esset, si totum non converteretur in sanguinem Christi, quandoquidem uterque liquor non per accidens adest & ignoranter, ut aliqua alia non consecrabilia fortuito & præter opinionem adjuncta, sed ex lege, & cum notitia manifesta ad sensum.

Solvuntur Objectiones.

806. Objicitur 1. Auctoritas Innocentij III. in cap. cum Marthæ de Celebr. Missarum, ubi consultus Pontifex à quodam Episcopo Lugdunensi, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur, respondet, super hoc opiniones apud Scholasticos variari. Postea refert sententiam illorum qui volebant aquam converti in aquam è latere Christi fluentem. Deinde procedit ad secundam opinionem & ait: [alij verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino, licet physici contrarium asserant, qui aquam à vino per artificium separari posse asserunt.] Post hæc refert tertiam sententiam, asserentem, quòd aqua nullo modo convertatur in sanguinem: deinde subjungit.

jungit. [Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.] Hæc Pontifex. Subsumunt adversarij. atqui secunda opinio fuit, transmutari mediâtè. ergo huic opinioni favebat Pontifex, nostræ autem opinionis nullam mentionem facit.

Re. 1. Certum est, in hoc puncto Pontificem nihil definitivè, sed solum declarasse, quid probabilius judicaretur apud Scholasticos. Vnde ille ipse Pontifex *lib. 4. de sacrif. Missæ c. 29.* cum movisset quæstionem de immediata conversione in sanguinem, dixit: *Quis audeat hoc definire?* Quapropter nunc ipsi adversarij fatentur, Pontificem plus noluisse declarare, quàm aquam aliquo modo converti in sanguinem, præseindendo an immediatè vel mediâtè, quod scholis reliquit.

Re. 2. Consideratis omnibus circumstantijs, Pontifex magis in nostram sententiam propendisse videtur, nempe, quòd casu quo falsum esset, aquam converti in vinum, aqua converteretur immediatè in sanguinem. Floruit Innocentius circa Annum Domini 1212. & cum esset vir doctissimus, non potuit ignorare opinionem illam, quæ jam tunc à viginti quatuor annis apud Gallos erat celebris, aquam nunquam converti in vinum, vt constat ex Epistola Gaufridi ad Episcopum Albanensem: imò quod amplius est, illi ipsi Lugdunenses, quorum Episcopus hanc quæstionem Pontifici proposuerat, in ea fuere sententia, aquam non converti in vinum, vt notat Aræus: alioquin vana fuisset quæstio, nam si prius in vinum converteretur, indubitatum fuisset, eam mediâtè converti in sanguinem.

807. Vterius advertendum & ponendum est, quòd Pontifex referendo secundam opinionem, asserentem aquam converti in sanguinem, addiderit rationem, quâ quidem illius sententiæ patroni eam defendebant, & explicabant, nempe quòd aqua prius convertatur in vinum, statim tamen subjunxerit, hanc rationem à physicis negari, & quidem indefinitè, adeoque à potiori.

Advertendum denique, Pontificem approbasse quidem hanc secundam opinionem tanquam probabiliorem, sed rationem quam ex aliorum mente pro ea prius retulerat, & quam ipsemet de Veritate suspectam fecerat ex contrario physicorum iudicio, postmodum in illius approbatione penitus omisisse, & illius loco aliam rationem, & quidem theologicam substituisse, quæ probat conversionem aquæ in sanguinem, sive prius convertatur in vinum, sive non convertatur: & quia illud prius erat extra controversiam, ideo de secundo videtur vnicè quæstio consulenti Episcopi processisse. Rationem ergo Pontifex adjecit his verbis. [Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expressius eluceat proprietas Sacramenti. nam cum aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur: Beati qui

feminatis super aquas: ideo vino aqua præfertur, vt Christus populus adunetur.] Hæc Pontifex.

Vnde apparet, quòd noluerit Pontifex dare majorem probabilitatem suæ opinionem arenosum illud principium philosophicum, quod aqua convertatur in vinum, sed supra certissimum fundamentum à Patribus agnitum, & jam supermultiplicatum, nempe supra Sacramentalem significationem.

Itaque Pontifex secundam sententiam retulit, vt simul insinuaret, eam in duas haberi posse, quarum vna dicat, aquam converti in sanguinem tantum mediâtè, altera autem dicat, eam converti immediatè, eò quòd ex physico receptissima sententia non possit physice in vinum converti. Ipse verò Pontifex, abstrahendo à quæstione hac physica, adhuc iudicavit dicendum esse, quòd convertatur in sanguinem, sive quæ convertatur sive non convertatur in vinum, prout sæpè non convertitur, ob breviterem temporis etiam si demus, posse tandem converti.

Confirmatur. Si enim doctissimis Catholicis credimus, qui in dictum capitulum *de Mysteriis* commentaria scripserunt, ipsi iudicant, quòd Pontifex supposuerit veram esse sententiam physicorum. Et vt alios taceam, Antonius de Lamo supra hunc textum: *Nota, inquit, credendum est, quòd de inspicendo ventre. l. 7. ff. de statu hominis.*

808. Obijciunt 2. Auctoritatem S. Thomæ *hic quæst. 74. a. 6. re.* S. Thomam non deseruisse ex professo contrariam sententiam. Titulus illius articuli non est de præsentia postea controversia, sed an aqua sit affundenda in magna quantitate, & respondet S. Thomas, quòd non. Vt autem hoc probet, adducit Auctoritatem Innocentij tertij, asserentis probabilitatem esse opinionem eorum, qui asserunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem: vnde asserit ergo modica aqua est affundenda. Puto vobis consequentia sit bona, non est necesse, vt conversio aquæ in vinum sit physica, sed sufficit si moralis, & alterutra requiritur, vt aqua convertatur in sanguinem vna cum vino cui affunditur: dicitur autem moraliter converti, quando alia est modica respectu quantitatis vini, vt non auferat à vino prædictum vini vidualis. Itaque censet Aræus, & suspicatur Lugo, S. Thomam proscindebat ab vtraque conversione sicut Pontifex Innocentius. P. Esparza existimat, S. Thomam habuisse vitiosum exemplar Extravagantis Innocentij, quia non refert verba Pontificis præsententur in Extravagante. Quidquid de hoc dicat, Card. de Lugo ex alio loco non incongrue colligit, S. Thomam intelligi posse de Conversione morali: nam eadem quæst. a. 3. ad 7. arg. contra Materiam panis triticeæ, scilicet quòd vix invenitur farina Triticea, quæ non habeat aliquod admixtum, ita respondet. [Parius frumenti admixtum, ita respondet.] Respondendum, quòd modica permixtio non solvit necessitatem, quia id quod est modicum, quòd admodum

absorbetur à plurimo, & ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti, si verò sit magna permixtio (puta ex æquo vel quasi) talis permixtio speciem mutat: unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.] Hæc S. D. Ex quibus possumus ad nostrum propositum sic argumentari. Juxta S. Thomam a. 8. aqua debet admisceri vino cum eo moderamine quantitatis, ut non dissolvatur species vini, & sic aqua erit vnà cum vino materia Sacramenti: atqui hoc servatur absque eo quòd aqua physicè convertatur in vinum, modò ab excessu vini absorbeatur, quæ est conversio moralis, prout docet S. Thomas de materia panis tritici in verbis allatis, quia hordeum v. g. aut avena non convertitur physicè in triticum: ergo in materia Eucharistiæ S. Thomas non requisivit conversionem physicam, sed illi sufficiebat moralis.

Confirmari potest inde, quòd S. Thomas docuerit Parisijs, cum inter Gallos ageretur quæstio de immediata conversione aquæ in sanguinem, & tamen hanc sententiam non rejecerit, nec de hoc puncto specialem articulum instituerit: quia nimirum agnovit, sufficere moralem conversionem aquæ in vinum ut converteretur in sanguinem: de physica conversione noluit disputare, quòd ad physicos ea quæstio pertineret.

809. Objiunt 3. ex Concilio Florentino, ubi Eugenius Papa dicit, Materiam Calicis esse vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet: atqui non apparet ratio cur debeat affundi modicissima, nisi ut converti possit in vinum. Ergo &c. R. Hanc non potuisse esse rationem Pontificis, alioquin debuisset etiam monere, ut notabili tempore ante consecrationem admisceretur, & non primò in Offertorio: item monere debuisset, ut semper adhiberetur vinum generosum, nam debile non habet illam vim convertendi. R. 2. Fuisse alias causas Pontificis, prima quam assignat S. Thomas, ne periculum sit, ut aqua corrumpat vinum, seu physicè seu moraliter, tollendo denominationem vini vsualis. Se-

cunda, quia aqua significat Populum Christi, & Humanitatem ejusdem, quæ si comparentur cum Divinitate significata per vinum, sunt quid minimum. Tertia poterat esse, ut eò magis recederetur ab hæresi Aquariorum.

810. Objiunt 4. ex Concilio Tridentino, dicente. *sess. 13. can. 2.* post consecrationem manere duntaxat species panis & vini: atqui secundum nos remaneret etiam species aquæ. R. Species aquæ mixtas speciebus vini in modica quantitate, subire denominationem specierum vini, & hoc sensu comprehenduntur verbis Concilij, & à nobis asseruntur manere. Deinde per verbum *duntaxat*, voluit Concilium excludere substantiam panis & vini, quia canonem illum constituit contra hæreticos, cum quibus nunquam fuit circa species aquæ, sed circa permanentiam substantiæ.

811. Objiunt 5. Ex can. 3. ubi dicitur, totum Christum contineri sub singulis ejusque speciei partibus separatione factâ: atqui hoc non esset verum in nostra sententia: si enim per artem chymicam species aquæ separarentur à speciebus vini, non continerent Christum. R. Tridentinum loqui de speciebus, quæ factâ separatione merentur dici species panis & vini: atqui species aquæ separate non amplius possent dici species vini, ergo ob hanc causam non retinerent amplius Christum, sicut nec illum retinerent species fermenti aut salis, si separarentur à speciebus panis quem consecrant Græci.

812. Objiunt denique P. Amicus. Ex nostra sententia sequitur, quòd si pani admisceatur aliquid de butyro, melle, vel alio liquore, quòd, inquam, talis substantia converteretur in Corpus Christi, quia non variaret prædicatum panis vsualis. Item si hostia maderet aqua: imò & aër receptus in poris converteretur. Respondet P. Dicastillo, concedendo sequelam de melle, faccharo & butyro. Alij tamen melius negant paritatem, quia hæc non constituunt ex communi vsu hominum panem vsualem, sicut aqua constituit vinum vsuale. Et hæc de Materia remota Eucharistiæ.



CAPVT IV.

DE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI
SVB SPECIEBVS PANIS ET VINI
PRÆSENTIA.

CONTROVERSIA I.

An Christus sit præsens in Eucharistia, & qualis illa sit præsentia.

813. **C**atholica veritas Præsentia Christi, contra Zwinglium & Calvinum aliisque Sacramentarios, definita est à decem Concilijs, quæ videri possunt apud Bellarminum & alios Controversistas. Labet fundamenta breviter indicare.

Probatum itaque ex Scriptura, in qua consecrationis verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, quater leguntur. quæ verba etiam Luthero tam clara fuerunt, ut falsus sit, se illa non potuisse accipere tropicè, tamen maxime vellet. Ratio autem quare debeant accipi in sensu proprio, est, quia est locutio Dei de opere suo, de quo non debet Deus dici locutus esse tropicè & improprie, quia nihil cogit. Si quid enim nos cogeret ad illa verba tropicè intelligenda, vel esset repugnantia illius præsentia, vel quia licet non repugnet, sit tamen admodum durum & creditu difficile. Neutrum valet. Non primum, quia ab adversarijs nulla afferri potest: unde nisi adesset mera libido contradicendi Romanæ Ecclesiæ, non difficiliter admitterent hanc miraculosam præsentiam, quàm Mysterium Trinitatis & Incarnationis. Secundum ineptè dicitur. Quando enim aliquid non repugnat, non est Deo difficilior quàm quidvis aliud, quod quotidie videmus oculis, fieri: ergo si Deus hoc mysterium aequè claris verbis revelavit, non debemus minus prompti esse ad hoc quàm ad quidvis aliud credendum, quia fides ne quidem partialiter niti debet facilitate naturalis intelligentiæ circa Mysteria.

814. Confirmatur. Incredibile prorsus est, potuisse in Ecclesiam univrsalem irreperere errorem de præsentia reali corporis Christi, si unquam ab eadem Ecclesia fuissent verba consecratoria tropicè intellecta; facillimum enim fuisset etiam rudissimis hunc tropum explicare, & à tam crasso errore præservare, utpote quibus longè facilius persuasum fuisset, verba tropicè quàm proprie intelligenda esse, idque haberi ex perpetua traditione ab ipsis Apostolis derivata.

Hujus Mysterij institutionem promiserat Christus Jo. 6. nam illo loco sermonem esse de

hoc Mysterio docet Concilium Trid. *sess. 13. c. 1. & sess. 21. c. 1.* ubi probat non esse ex divinis precepto utramque speciem Laicis dandam. *non graviter hallucinati sunt quidam Catholici 100. volentes ibi sermonem esse de manducatione fidei, quæ est interpretatio moderatorum hereticorum.*

Eandem veritatem tradidit Concilium Paulus c. 10. dum ait: *Calix benedictionis calcedicimus, nonne Communicatio Sanguinis Christi, & panis quem frangimus, nonne Communicatio corporis Domini est? & c. 11. Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit non dignum Corpus Domini.* Ex quo loco fit validum argumentum contra hereticos, volentes Christum tantum spiritualiter per fidem manducari. Nam enim, ut heretici tradunt, fides hominem justificat, impossibile est Christum per fidem manducari, qui enim iustus est, non est indignus. Præterea ridiculum est dicere, quod Christus indignè manducetur in sua figura, ita ut debet se prius probare, & conscientiam examinare, non dignus sit, qui manducet figuram Christi in libro vel butyro impressam, ne sibi judicium manducet. Sed de his plura apud Bellarm. Scilicet fidei controversias scripserunt. Inter Scholasticos

815. Quæritur 1. Quid realiter locum sit Præsentia Christi Eucharistica. & breviter. Qui in veriore philosophia docent ubicationes rerum creatarum esse modos superadditos, hæc quoque talem superaddunt, ob rationes easdem philosophicas. Verum, quia inter philosophos est vltior controversia, an singulæ entitates simpliciter compositi habeant suas proprias ubicationes, vel an aliquæ ubicentur per ubicationem altiorum sibi unitæ, v. g. anima per ubicationem quantitatatis sibi unitæ, prout tenet Valquez, hinc enim in præsentia posset quæri, an Christus ubicentur per ubicationem accidentium sibi unitorum. Vnde respondeo negativè. Nam quidquid sit de alijs de quibus procedit sententia Valquez, accidentia Eucharistica secundum communem de

mihī veriore sententiam non sunt physicē vnita Corpori Christi ita vt cum illo faciant vnum per se.

P. Martinus Esparza asserit, Christum vbi-
cari sub accidentibus Eucharisticis per Vbicationem
supernaturalem, subiectatam in solis acciden-
tibus, & ad Christum solum terminativē se haben-
tem, sicut se habet Vnio hypostatica ad Verbum.
In hac sententia duō mihī difficilia apparent. Pri-
mum, quōd vbiatio Corporis Christi Eucharisti-
ca, non informet corpus Christi, cū corpus Chri-
sti capax sit divinitus plurium vbiationum simul-
tanearum: nam ex communiore sententia posset
etiam circumscriptivē in pluribus locis replicari.
Secundō, difficile apparet, quōd illa vbiatio reci-
piatur in accidentibus Eucharisticis, & tamen
illis non tribuat effectum formalem vbiati: vbi-
cantur enim per propriam vbiationem natura-
lem. Caterū non lubet his philosophicis quæ-
stionibus discutiendis immorari.

816. Quaritur 2. An supposito, Vbica-
tionem Eucharisticam recipi informativē in Cor-
pore Christi, ea sit quoad substantiam supernatu-
ralis, vel tantū quoad modum. *ꝑ.* Probabi-
lem mihī videri sententiam P. Arriagæ, illam esse
tantū supernaturalem quoad modum. Dicit
enim potest, quōd tota supernaturalitas illius con-
sistat in hoc, quōd punctum corporis, A. vbi-
cetur in eodem spatio, in quo vbiatur punctum
B. C. D. & sic de cæteris: quæ supernaturalitas
aliud non est, quā Decretum Dei, ponendi plu-
res vbiationes diversorum punctorum secundū
se naturales, in eodem spatio simul, contra exi-
gentiam punctorum volentium poni extra se &
non penetrata: hæc autem est supernaturalitas
quoad modum tantū, sed de his plura alij.

CONTROVERSIA II.

In quonam consistat Vnio Corporis Christi
cum speciebus.

817. Certum est 1. inter Corpus Christi & spe-
cies intercedere aliquam vnionem seu
allegationem, vi cuius Christus comitatur species
quocunque moventur, & vi cuius dicitur Sacer-
dos attolere Christum, deglutire &c. item vi cuius
Christus per illa accidentia est designabilis, dicen-
do: *Hoc est Corpus Christi.*

Certum est 2. Corpus Christi non accipe-
re ab illis accidentibus illos effectus formales,
quos accipiebat substantia panis præcedens: non
enim Christus fit quantus, albus, dulcis, figura-
tus, rarus, densus &c. Ratio est, quia, vt in Con-
cilio Constantiensi definitum est, accidentia illa
sunt sine subiecto substantiali physico: atqui huic
soli tribuunt illos effectus formales.

818. Prima sententia est Valentia *disp. 6.*
ꝑ. 3. Ochogavia *ir. 10. q. 14.* & plurium apud P.
Tannerum *hic q. 4. dub. 5. n. 68.* quōd produca-

tur Vnio substantialis Corporis Christi cum spe-
ciebus. Sed hæc sententia facilē rejicitur. Nam
substantia non potest accidenti vniri vnione sub-
stantiali, quia non constituit substantiam.

Secunda sententia est, inter Corpus Christi,
& accidentia (saltem quantitatem) intercedere
veram vnionem physicam accidentalem, vi cuius
non quidem fiat vnum per se, sed tamen *vnium*
per accidens, neque Christum accipere alium ef-
fectum formalem, præterquam, *esse vnium*. vnde
fit, vt moto vno extremo moveatur & alterum,
quia hoc requirit vnio physica. Hanc Vnionem
aliqui ponunt in substantia Corporis Christi, &
dicunt habere respectum transcendentalem ad
quantitatem panis, & ex natura rei pendere ab il-
la tanquam extremo. alij ponunt eam in acciden-
tibus, & dicunt, Corpus Christi esse terminum
extrinsecum, sicut Verbum est Vnionis hypostati-
cæ. Hanc sententiam retulerat Lugo: deinde
eam amplexus est P. Dicastillo, & videri potest
esse P. Vasquez *d. 190. c. 5. n. 50. cum præcedentibus.*

Tertia sententia est, continentiam Christi
sub speciebus, in duobus consistere: primum est,
quōd Corpus Christi instrumentaliter conserveat
species sine inhærentia, adeoque creativē: secun-
dum, quōd in ipsis accidentibus producatur quæ-
dam virtus quali magnetica, vi cuius accidentia
trahant secum corpus Christi, quocunque mo-
ventur, & quidem cum intima præsentia. Hanc
sententiam tuetur Lugo *sect. 2.* nullum pro ea
adducens auctorem. Vasquez tamen *d. 190. c. 4.*
n. 42. eam retulerat ex quibusdam illius temporis
Recentioribus.

Quarta sententia est Card. Pallavicini, qui
c. 19. n. 262. iunctis ijs quæ prius dixerat, docet,
Vnionem illam Corporis Christi consistere in
qualitate supernaturali intrinseca Corpori Chri-
sti, relativa ad promissionem Dei: eo scilicet
modo, quo eum superius philosophantem de caus-
saliitate Sacramentorum audivimus: vi huius
qualitatis, ait, Christum gerere munus substantiæ
erga accidentia panis, ita vt ei tribuantur actiones
& passiones ipsarum specierum, exceptis illis præ-
dicatis, quæ parent æquivocationem, ac tribue-
rentur Christo ratione sui.

Quinta sententia est, hanc Vnionem aliud
non esse, quā inseparabilitatem quoad locum,
provenientem ex decreto divino: neque requiri
vllō modo efficientiam Christi erga accidentia.
Ita Scotus, Gabriel, Okam, Major, Argentinas,
Petrus de Aliaco, Nominales, quos sequuntur
Arriaga & Præpositus.

819. DICO 1. Inter Corpus Christi &
quantitatem panis, non datur vera & formalis
vnio, qualem ponebat secunda sententia. Pro-
batur 1. Si enim daretur talis Vnio, hoc ipso ac-
cidentia tribuerent suos effectus formales; sed
hoc nemo admittit: ergo &c. Sequela probatur.
Nam Corpus Christi est capax huiusmodi effe-
ctuum formalium: ergo ad illos accipiendos
nihil aliud deest, quā Vnio formalis physica cor-
poris

poris cum accidentibus : ergo hac posita dabitur effectus formalis.

Probat 2. Unio formalis physica contradistincta ab extremis vnitis, habet hoc ex essentia sua, vt non possit dari nisi inter eiusmodi extrema, quorum saltëm alterutrum perficiatur ab altero, & accipiat specialem aliquem effectum formalem : sic etiam Unio hypostatica hoc habet, vt per eam Humanitas accipiat effectum formalem *subsistentis* : atqui accidentia Eucharistica non accipiunt à Corpore Christi effectum formalem *Subiectati*, quia, vt definitum est, existunt sine subiecto substantiali : ergo assignandus est alius specialis effectus formalis, qui tribui possit per vnionem absque effectui formali *Subiectati* : qualis tamen nullus hactenus assignatus, nec facile assignari poterit.

Confirmatur 1. Ex nullo alio fundamento denominatur aqua calida, nisi quia calor est illi physice vnitus, neque dicitur præcisè accipere effectum formalem *Vniti*, atqui si posset dari vnio faciens præcisè effectum formalem *Vniti*, tunc sine vllo inconuenienti posset quis dicere, talem esse vnionem caloris cum aqua, quia calor est aquæ contrarius : ergo signum est, quòd ad vnionem physicam non sufficiat facere effectum formalem generalem *Vniti*, sed debeat insuper tribuere effectum formalem specialem, vt, *esse calidam*.

Confirmatur 2. Nisi hæc sit natura Vnionis physica, jam nihil obstat, quominùs quilibet cuiuslibet physice vniri possit, Angelus Angelo, Ignis aquæ &c. præcisè in ordine ad inseparabilitatem ; hoc autem, teste Lugone nemo concedit, aut certè qui concederet singularis esset.

820. DICO 2. Ad explicandam continentiam Christi sub speciebus, non videtur esse necessariam recurrere ad effectiōem physicam, quasi necessè sit Christum effectiue causare illa accidentia, vt subeat officium substantiæ. Est contra Suarez & Lugo. Probat 1. Si hæc efficiencia esset necessaria ad explicandam continentiam sub speciebus, hoc ideo esset, quia alioquin Christus non esset designabilis per illa accidentia, vt pote quæ non essent speciali modo accidentia Christi, quia respectu illorum Christus non fungeretur munere substantiæ, neque sustentando vt subiectum, neque efficienter causando, quæ est quadam eminentialis sustentatio : atqui potest absque huiusmodi causalityte explicari, quomodo Christus sit per illa accidentia designabilis, & obeat sufficienter munus substantiæ in ordine ad talem designationem : ergo sine necessitate requiritur talis efficiencia, quæ à modernis philosophis plerisque impossibilis reputatur. Major est aduersariorum. Minorem probò & declaro. Imprimis fuerunt philosophi, qui vtrumque genus causandi in creaturis negârunt conuenire substantiæ respectu accidentium, & tamen conceperunt substantias vt designabiles per accidentia, neque illos quisquam ex hoc capite reprehendit aut impugnavit. Deinde in eo

instanti in quo ponitur vltima dispositio ad formam ignis v.g. ipse ignis productus est designabilis per illa accidentia, & tamen ignis non habet tunc rationem causæ, nec effectiue nec designatiue respectu accidentium, quia non presupponitur totus ignis prioritate nature. Denique demus, substantiam quæ informatur ab accidentibus, semper aliquo modo causare illa accidentia, & hoc spectare ad officium illius substantiæ, hoc tamen officium non consistit in illa causalityte quomodocunque & qualicunque, sed in causalityte vnitiue & informatiue : hoc est, substantia causabit accidentia in eum finem, vt per illa informantur & intrinsecè perficiantur, qui certum est, quòd Christus non causet in hunc finem accidentia Eucharistica, vt per illa informantur : ergo non exercet officium illud substantiæ in accidentia, quod communiter alia substantiæ exercent ; ergo independentè ab hac causalityte poterit explicari, quomodo Christus per accidentia Eucharistica, quantumvis non vnitus physice, sit designabilis, & aliquo modo gerat officium substantiæ, sufficiens ad talem designationem, sicut designabilitatem. Itaque

821. DICO 3. Vt Christus sit designabilis per accidentia Eucharistica, sufficit causalitas finalis, hoc est, quòd Christus sit causa finalis accidentium quoad eorum conservationem, panis quidem eo sensu, quasi Christus quoad seem existentiam sit causa finalis accidentium tantum mediōrum ad obtinendam illam existentiam, sed quòd accidentia conserventur sine substantia panis in hunc finem, vt eius loco Christum informant & contineant localiter, & seruiant, vt panem antè seruibant ad hoc, vt panis in ratiōe cibi esset sumibilis, ità postmodum loco panis Christus sub accidentibus contentus esset in ratiōe cibi sumibilis, & quæ cibis allicere posset ad illam sumptionem. Præter hanc ergo causalitytem finalem alia nulla requiritur. Probat 1. Obiectio & declaratur exemplis vulgariis. Obiectio Marsupio continente aurum, rectè dicitur, hoc est aurum ; & ostensio dolio continente vinum, dicitur, hoc est vinum ; sensusque est : contentum sub hoc velamine vel vase est aurum, vinum &c. contra si aureus nummus abscondetur in pomo vel libro, non rectè diceretur, contentus pomo vel libro ; hoc est aurum. Ratio efficiencia finalis est, quia ex usu communi marsupium & dolium sunt in hunc finem elaborata, vt seruiant ad illa continenda, non item pomum aut liberum ad continendum aurum. Hinc vides, quòd et ad causam finali ordinata ad continentiam vnitiue causa finalis proveniat, quòd contentum posita per contentum aliō, proveniat, quòd contentum posita per contentum aliō, proveniat, quòd contentum posita per contentum aliō, proveniat. Nam Christus sic procedit in nostro proposito. Obiectio substantiæ panis, in hunc finem, vt Christum informant per modum cibi contineant, & quidem tantum quoad substantiam panis continentem.

Ex quo etiam colligitur, quo sensu Christus gerat officium substantia respectu accidentium: nempe sicut panis erat finis illorum accidentium in ratione cibi; ita & Christus, cum hoc tamen discrimine, quod substantia panis poterat & debebat physicè perfici per illa accidentia ut posset esse cibus corporalis, Christus autem, ut posset esse cibus spiritualis, non debebat physicè perfici ab illis accidentibus.

822. Dixi in Conclusionem, non requiri aliud causandi genus, non autem dixi nihil aliud requiri. Certum enim est, ad hoc ut Christus sub illis accidentibus ita contineatur, ut per illa sit designabilis, & gerat officium cibi, non sufficere causalitatem finalem jam explicatam, sicut non sufficeret ad dicendum; hoc est aurum, monstrato marsupio, si nullum aurum intus esset, etiamsi marsupij finis fuisset pecunia continenda: requiritur ergo insuper contentia localis; & quidem talis, ut extrema aliquo modo quoad locum inseparabilia sint, hoc est, ut saltè alterutro eorum tracto trahatur etiam alterum. Vt etiam, ut Christus motis speciebus traheretur, non esset satis, quod immediatè antè motum specierum fuisset penetratus cum illis, non enim involvulus fuisset Christus speciebus, sicut pecunia involvitur marsupio, quo tracto, propter impenetrabilitatem trahitur etiam pecunia, possent ergo species amoveri, manente Christi corpore in priori loco. Videndum ergo restat, vnde nam proveniat illa alligatio, ut motis speciebus moveatur etiam Corpus Christi: circa quod jam supra varias opiniones retulimus.

823. DICO 4. Hæc alligatio Christi ad accidentia, non videtur consistere in qualitate attractiva & quasi magnetica, quam ponit Lugo. Possent hæc qualitas impugnari pluribus modis, & argumentis ex natura rei petitis, & quidem ex duplici potissimum capite. 1. quod, cum esset qualitas materialis, exigeretque recipi in quantitate, esset tamen essentialiter violenta quantitati, utpote ex natura sua resistenti ne penetraretur cum alia quantitate, & tamen illa qualitas exigeret talem penetrationem cum Corpore Christi. 2. Quia difficile est ostendere subjectum adæquatum illius qualitatis: si enim dicatur esse sola quantitas specierum, deberet illa qualitas connaturaliter permanere etiam destructis cæteris accidentibus proprijs substantia panis, adeoque etiam recedente Corpore Christi, quia non habet contrarium: ad hoc tamen responderi posset, ideo cessaturam etiam qualitatem, quia esset otiosa, prout aliqui discurrunt de impulsu. Quod si dicatur recipi in omnibus accidentibus, tunc facta vel minimâ mutatione periret illa qualitas & nova produceretur. His tamen & similibus omisissis, nobis pro nostra Conclusionem sufficit argumentum Theologis familiare. Non debemus mysteria fidei reddere difficiliora, fundando ea in principijs incertis, & à tota hæcenus antiquitate igno-

ratis, sine vrgentissima necessitate; & quantum fieri potest, explicanda sunt accommodatè ad sensum communem, quod ut in præsentem fiat.

824. DICO 5. Hæc alligatio non consistit in alio, quàm quod Deus ad verificanda verba Christi: *Hoc est Corpus meum*: decernat Christum ponere stabiliter sub speciebus panis, quamdiu hæc non fuerint corrupta. Ità videntur sentire AA. quintæ sententiæ, & probatur solvendo vnicuique argumentum quo impugnatur.

Argumentum autem est hoc. Nisi intercedat physica quedam connexio inter accidentia Panis & Corpus Christi, non erit verum, quod Corpus Christi, verè & physicè moveatur à Sacerdote, nec poterit dici ab eodem portari, deglutiri &c. atqui hæc propositiones non possunt improbari, cum passim sint in usu. Sequela probatur. Ad has enim locutiones verificandas, non sufficit decretum Dei, ponendi semper præsens Corpus Christi illis accidentibus; sicut si Angelus liberè semper vellet mihi præsens esse, & ego me moverem, non diceret ego movere Angelum, propriè loquendo, sed Angelus diceretur seipsum sponte movere.

8. In hoc argumento supponi, quod quando fideles dicunt, Christum à Sacerdote portari, sumi, deglutiri, quod, inquam, loquantur in sensu physico, ita ut illa non verè dicerentur, nisi physica connexio intercederet. Verùm hoc sine fundamento supponitur, & potius contrarium est supponendum, nempe quod fideles in illis loquendi modis abstrahant, verum talis physica connexio intercedat necne. Qui enim primitus usurpârunt illos loquendi modos, si voluissent significare physicam connexionem intrinsecam, debuissent hujus rei aliquod fundamentum habere, quia non poterant nisi aliorum loquendi modo, cum ipsi fuerint primi: atqui nullum hujusmodi fundamentum assignatur ab adversarijs, qui vnicè recurrunt ad communem modum loquendi: ergo qui primitus his loquendi modis vsi sunt, noluerunt veritatem sermonis alligare physica connexioni Christi cum speciebus; sed solum voluerunt significare, quod motis speciebus Christus semper comitetur, & sic quoad apparentiam sensibilem perinde censetur Christus moveri, atque moto corpore moveretur anima, vel moto dolio moveretur vinum. Itaque, meo iudicio, malè probatur physica connexio corporis cum speciebus ex modo loquendi: sicut inefficax esset argumentatio ex communi modo loquendi, quod ignis, aliæque causæ secunda sint activæ, eò quod homines dicant ignem calefacere, aquam humectare.

Confirmatur. Fundamentum dicendi, Christum portari, sumi &c. aliud non est, quàm quod ex fide & veritate verborum Christi habeamus, Christum semper manere præsentem illis speciebus post consecrationem: vnde inferimus: ergo quocumque moventur species, eò etiam transferatur Christus, quomodocumque hoc fiat: atqui ad hoc

hoc verificandum sufficit, si Deus suo decreto alligat Christum speciebus quoad Tocum. ergo &c. Paucis ergo verbis volumus exprimere id, quod alioquin longis ambagibus describendum esset, si scholasticè loqui vellemus: paucis inquam verbis dicimus: Sacerdotem portare Christum, nempe quoad æquivalentiam & apparentiam: sic-

ut quando dæmon in obsessis format voces articulatas, dicimus dæmonem loqui, cum tamen philosophicè loquendo dæmon non loquatur, quia non format illas voces per motum vocalium. Item obsessus dicitur intra se & secum terre dæmonem, & tamen hoc non significat physicam connexionem.

CAPVT V.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI.

CONTROVERSA I.

An ad Conversionem in genere requiratur, ut terminus à Quo omnino esse desinat.

825. **D**efinitur Conversio, Transitus vni⁹ rei in aliam: ex qua definitione Colligitur 1. ad Conversionem requiri terminum à quo & ad quem, utrumque positivum: potest verò uterque esse vel totalis vel formalis, intelligendo per terminum formalem à quo, illud quod per conversionem expellitur, sive deinde sit forma, sive subiectum, prout in Conversione Eucharistica panis est terminus formalis à quo, Corpus Christi verò est terminus formalis ad quem: terminus totalis à quo est panis habens apparatus accidentium, & terminus totalis ad quem est Corpus Christi cum talibus accidentibus.

Colligitur 2. Ad Conversionem requiri præter terminum à quo & terminum ad quem, ut detur aliquid utrique commune, quod fuerit prius constitutivum termini totalis à quo, & per conversionem fiat constitutivum termini totalis ad quem; & per consequens erit adæquarè distinctum à terminis formalibus, circa quod vnus terminus formalis alteri succedit in aliquo officio, qualecunque illud sit: sic enim Corpus Christi succedit substantiæ panis in officio substantiæ circa accidentia, quia substat accidentibus tanquam designabile per illa, illisque alligatur, & sub illis continetur, & est causa conservationis accidentium saltè finalis, ut supra dictum est.

Colligitur 3. Terminum à quo totalem quæ ralem, debere in conversione desinere, & terminum ad quem totalem debere incipere. Debet enim ad minimum desinere connexio termini formalis cum communi tertio, circa quod succedit terminus formalis ad quem: atqui illa connexio est pars constitutiva termini totalis. Ergo &c.

826. Controversia est, an de conversione Conversionis sit, ut terminus formalis à quo desinat omnino existere in rerum natura, vel terminus sufficiat, quodd desinat ejus vnio seu connexio cum communi tertio. Ex hac questione pendet alia Theologica, quomodo ex veritate forme consecrationis colligatur & inferatur legitima conversio Eucharistica, prout dixit Tridentinum.

Et quidem certum est, ad conversionem termini totalis, non requiri omnimodam desinationem termini formalis à quo, nam homo dicitur converteri in cadaver, in vermes, in pulverem, &c. requiritur Ecclesia in die cinerum, cum tamen non desinat anima, quæ est terminus formalis à quo. Quæstio ergo est, quando denominatione Conversionis tribuitur termino formali.

P. Conink negavit, posse conversionis denominationem attribui terminis formalibus, nec rectè dici, calorem converteri in frigus. Sed oppositum probant exempla Scripturæ, ut cum dicitur: Tristitia vestra vertetur in gaudium Jo. 16. Esther 9. & 17. & in hoc ipso mysterio panis dicitur converteri in Corpus Christi, & panis est terminus formalis à quo. Verum tamen est, longè rariùs attribui hanc denominationem termino formali, quàm termino totali.

Card. de Lugo docet, ad Conversionem formalem requiri omnimodam desinationem termini à quo, cui consentit Oviedo, Pallavic. & Amaga. Econtra P. Esparza quasi pro certo supponit contrarium, dicens, sufficere quodd desinat ad vnitatem tertio communi: vnde infert, quod à substantiæ panis post consecrationem adhuc conservaretur, modò desinere vniti accidentibus, adhuc esset tota essentia conversionis panis in Corpus Christi.

Hæc sententia expeditè reddit rationem, quomodo ex veritate verborum Christi colligatur conversio panis in Corpus Christi, quod tamen difficulter explicat prior sententia, quia verba Christi adhuc vera essent, etiam si substantia panis, non omnino desineret, modò desineret esse vnita: ergo hæc desitio non requiritur ad conversionem termini formalis.

827. Propter hanc causam operæ pretium erit, considerare fundamenta prioris & communioris sententiæ (quæ P. Esparza præterijt) & videre, an & quid ad illa responderi possit.

Argumentantur ergo 1. Si sufficeret, terminum formalem à quo præcisè desistere ab officio in quo terminus formalis succedit, tunc rectè diceretur anima rationalis converti in formam cadavericam, & ex anima rationali fieri forma cadaverica: consequens est contra communem loquendi modum, ergo &c. 2. Transeat major, nego minorem, vel potius nego suppositum minoris, nempe quòd vnquam fuerit vitatus & communis modus loquendi de Conversionibus formalibus. Nam ipse Lugo fatetur, non esse vitatum loquendi modum, quo terminis formalibus tribuatur denominatio *Conversionis*, sed communiter tribuatur terminis totalibus. Sic Arriaga negat dicendum esse: *forma ethyl convertitur in animam rationalem*, quam tamen propositionem Lugo admittit.

Itaque denominatio *conversionis* ex usu loquendi non tribuitur terminis formalibus, præsertim verò non tribuitur illis, qui habent veram rationem formæ substantialis, sic non dicimus: forma ligni convertitur in formam ignis: sed, lignum convertitur in ignem. Formis autem accidentalibus facilius applicatur: sic calor dicitur converti in frigus, tristitia in gaudium, & non solemus dicere: tristis convertitur in gaudentem.

Jam verò loquendo de illis conversionibus quarum termini formales potius gerunt officium suppositi seu subiecti quàm formæ, & tertium commune potius habet rationem formæ respectu terminorum formalium, vt fit in Conversione Eucharistica, in his inquam potest optimè dici fieri conversio vnus termini formalis in alium, etiam si terminus à quo maneat in rerum natura. Exemplum clarum est, quando dicimus, odorem bonum converti in fetorem, nam odor & fetor aliud non sunt quàm particula odorifera per æterem sparsa, & quæ solùm loco pelluntur & succedunt. Huiusmodi conversio est conversio Eucharistica, & adhuc rectè diceretur panis converti in Corpus Christi, etiam si tota substantia panis miraculosè alibi reponeretur.

828. Objicit Lugo 2. Pontifices supponunt contra hæreticos, Verbum divinum non posse in aliud converti, quia non potest desinere. Respondeo facillè, sanctos Patres & Pontifices contra Euthycherem optimè philosophatos fuisse, quia hic voluit, ex Divinitate & Humanitate fieri vnã naturam; & sicut ex elementorum, ita ex

naturarum confusione fieri vnã naturam tertiam: hoc autem ne concipi quidem aliter potest, nisi cum divinæ nature corruptione, quia non datur aliud tertium commune: ergo ex incorruptibilitate Verbi evidentè concluditur non posse converti. Verbum enim esset terminus totalis, cuius destructio secundum aliquid illius vtique requiritur, vt supra dictum est.

Objiciunt 3. S. Thomam 3. p. 9. 77. a. 5. vbi ait. [Manifestum est enim, quòd ex corpore & sanguine Christi non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. 2. Legenti S. Thomam clarum est, eum aliud non velle, quàm quòd ex materia Corporis Christi non educatur illa forma quæ generatur ex corruptis speciebus Sacramentalibus, quia Christus nihil deperdit suæ materiae, nec quidquam illius transit in materiam hominis qui sumpsit hostiam.

Objiciunt 4. Sequeretur, quòd quando ex hostia consecrata generantur vermes, mures &c. dici possèt, Christum conversum esse in vermem, murem &c. quas propositiones, ait Suarez, non tutè concedi, & illis pijs aures offendi. Hoc tamen argumentum inefficax esse fatetur Oviedo, & verè. Respondetur enim, aures doctorum intelligentium, quid loquens velit significare, nempe Christum esse terminum formalem à quo, & substantiam vermis esse terminum formalem ad quem non offendi, sed aures plebis, quæ putat significari, ex Corpore Christi per ejus corruptionem generari vermes, sicut in humano corpore quandoque etiam vivo contingere solet. Hæc sunt fundamenta illorum, qui requirunt omnimodam desitionem termini formalis à quo.

829. Econtra verò qui negant hanc requiri, argumentantur à paritate. Ad conversionem formalem non requiritur, vt terminus formalis ad quem incipiat esse de novo (alioquin panis non converteretur in Corpus Christi) sed satis est, si incipiat de novo fungi officio termini cui succedit: atqui non alio modo debet desinere terminus à quo, quàm quo debet incipere terminus ad quem: ergo terminus à quo non debet aliter desinere, quàm relinquendo illud tertium, circa quod succedit terminus ad quem. Probatut minor: sicut enim ad terminum ad quem sufficit succedere, ita ad terminum à quo sufficit cedere. Neque ad hoc habent adversarij aliud quod respondeant, nisi iterum recurrendo ad modum loquendi, ex quo tamen nihil probatur, vt dictum est supra.

CONTROVERSIA II.

Quomodo ex verbis Christi colligatur Conversio Eucharistica.

830. Concilium Tridentinum sess. 13. c. 4. discretè docet, ex veritate Verborum Christi colligi conversionem totius substantiæ panis in Corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem.

K k k k

guinem. ut autem hæc illatio legitima sit, duplex solvenda est difficultas. Prima. Quia adhuc viderentur Verba Christi esse vera, etiam si vnâ cum Corpore Christi maneret substantia panis vnita accidentibus, adhuc enim videretur dici posse: *hoc est Corpus Christi*: live *Corpus Christi substat his accidentibus*. quod verum esset, etiam si panis simul substaret. ergo ex veritate Verborum non inferitur legitime absentia panis. Secunda difficultas. Saltem non videtur sequi, quod panis deberet omnino desinere in rerum natura vi verborum Christi: essent enim adhuc verissima verba Christi: *hoc est Corpus meum*. etiam si substantia panis alibi miraculose reponeretur: atqui ex communiore sententia, ut dictum est præced. contr. ad conversionem requiritur omnimoda desinitio termini formalis à quo: hic autem est substantia panis: ergo non apparet quomodo Concilium potuerit dicere, ex veritate Verborum colligi conversionem prædictam. Quoad primum,

Scotus, Durandus, & Paludanus, apud Suarez, opinati sunt, ex veritate verborum non inferri simpliciter, substantiam panis non manere vnitam accidentibus. Hoc tamen assertum cæteri Theologi communiter omnes improbant, adeo ut Suarez dicat, & multum favere hæreticis hujus temporis, & post Tridentinum nullo modo defendi posse.

§31. Quoad primum ergo difficultatis punctum, communis est Theologorum explicatio, verba illa: *Hoc est corpus meum*, non fore vera, si maneret substantia panis vnita; & hoc ideo, quia sensus illius propositionis est: *Quidquid subest istis accidentibus, est corpus meum*: seu, ut loquitur Lugo, *solum corpus meum est sub istis accidentibus*. Declarant hoc exemplis. Si quis ostenso ligno diceret: *hoc est materia prima*: falsum diceret: atqui non diceret falsum si sensus esset disjunctivus, seu particularis: *aliquid existens sub his accidentibus est materia prima*. ergo debet esse sensus vniversalis: *quidquid subest*, & ideo est falsa, quia præter materiam etiam forma subest. Item si in dolio esset vinum & lac, non esset verum dicere: *hoc est vinum*: sed dicendum esset: *hoc est vinum & lac*. ergo Christus qui præsumendus est sine vitio, & accommodatè ad communem loquendi modum locutus esse, non dixisset simpliciter illud esse corpus suum, sed esse panem simul & corpus suum, si simul cum corpore panis adesset.

Confirmatur 1. Si enim adhuc maneret substantia panis, tunc illa multò magis & principalius, imò ipsa sola designabilis esset per pronomen, *Hoc*: etiam si simul adesset Corpus Christi: ergo conferretur Christus de substantia panis affirmasse, esse corpus suum, quod cum sit chymericum, necesse est abesse substantiam panis. Sequelam bene probat Suarez. Nam pronomen, *Hoc*, quando adhibetur ad designandam rem, quæ ex arte & vsu hominum aliam

rem continet, tunc in propria significatione adhibetur ad significandam substantiam contentam sub alia substantia, v. g. hominem sub tali velâ pecuniam in marsupio, vinum in dolio. Quod applicetur substantiæ, quæ non ordinatur ad aliam continendam, tunc etiam si defacto illa substantia aliam contineret, in proprietate non inferuntur nisi illa substantia, quæ proxime sub illis accidentibus continetur: sic si aureus nummus lateret in pomo, non posset, designato pomo, dici hoc est aurum: quia pomum nec à natura, nec ab arte, nec ab vsu hominum est ordinatum ad continendum aurum. Cum ergo panis de se non sit res apta continere Corpus Christi, nec aliam substantiam, neque in hunc vnam formam assumi, sequitur, quod si vnâ cum Corpore Christi adesset substantia panis, illa demonstraret potius quàm Corpus Christi. Quando vero est substantia panis, & ejus loco succedit Corpus Christi, jam salvâ proprietate sermonis demonstratur Corpus Christi, quia ex proprietate sermonis demonstratur vel panis, vel hoc aliud illud, quod in ejus locum successit: ut ergo proprietate sermonis per formam consecrationis designetur Corpus Christi ut substans illis accidentibus, debet substantia panis non amplius esse sensibilis per illa accidentia, sed solum Corpus Christi.

Confirmatur 2. Alio duplici exemplo. Primum est hoc. Accidentia propria hominis non sunt apta ad demonstrandum dæmonem in Enigumeno, nec conferretur aliquis rectè dicere: *hic est diabolus, ista sunt accidentia diaboli*. si enim operarentur operationes diaboli, posset per illa accidentia designari: *hic est diabolus*, quia sensus est: *qui hæc operatur est diabolus*. Cùm ergo accidentia panis non sint à natura ordinata ad panem demonstrandum, non posset per illa demonstrari corpus Christi, si adesset substantia panis, sed necessarium esset, ut Christus per aliud signum sensibile se demonstraret: quod quomodo fit, & tamen demonstratur per accidentia panis, necesse est dicere, quod Corpus Christi habet vices panis, & panis non sit amplius demonstrabilis: ergo à primo ad vltimum, vera & propria demonstratio Corporis Christi, est virtualis ex officio substantiæ panis, & cujuscunque alterius substantiæ, quæ non sit Corpus Christi.

Secundum exemplum est Card. Pallavicini. Si quis cum parva massa auri necdum sigillatâ, includeret marsupio monetam cupream, & diceret: *Ecce! pecunia quam tibi do, est aurum*; falsum dixerit judicaretur: nam tunc rō Pecuniæ, falsam monetam cupream, quæ est pecunia maxime propria, & in sensu maxime vtitato significatur. Si pronomen solum aurum inclusum esset, quantitas monetæ solum aurum inclusum esset, verè dicitur: *pecunia quam tibi do, est aurum*. Quia licet aurum rō Pecuniæ necdum signatum non solet vulgò dici Pecunia, in Jure Civili tamen etiam pecunia vocatur, quæ

nomine pecunie comprehenditur, quidquid in patrimonio nostro est. l. 4. §. 178. 222. ff. de V. S. & S. Augustinus idem alerit lib. de discipl. Christianis.

832. Veniamus nunc ad secundum difficultatis punctum, vtrum ex eadem veritate verborum inferri possit, substantiam panis desinere penitus esse in rerum natura. Qui ad Conversionem formalem in genere non requirunt omnimodam desitionem termini à quo, non sunt solliciti de hoc puncto, sufficit enim illis, quòd ex Verbis Christi inferatur Conversio, ad quam secundum illos non requiritur desitio substantia panis: Tridentinum autem plus non dixit, quàm quòd inferatur Conversio. Pro nunc autem dando, requiri desitionem termini, adhuc potest ostendi quomodo ex veritate Verborum deducatur hæc desitio substantia panis.

P. Suarez ex communi sensu Patrum & Conciliorum docet, Verba Christi hanc desitionem omnino requirere, alioquin fore, vt sine ratione & auctoritate temere fingerentur miracula. Non potest enim tota substantia materialis privari quantitate & omnibus accidentibus suis, quin ipsa desinat connaturaliter existere. Quia ergo in consecratione privatur substantia panis suis accidentibus, Ecclesia à Spiritu S. edocta pro comperto semper habuit, substantiam non manere in rerum natura saltè quoad formam substantialem: & quia materia prima non disponitur ad aliam formam substantialem, ideo connaturaliter nec ipsa manere debet, quia non minus ipsa pendet à posteriori à forma substantiali, quàm hæc ab accidentibus.

Eandem doctrinam reipsa amplexus est Card. de Lugo, eamque magis illustravit. Docet ergo n. 169. Patres Concilij Tridentini supposuisse ex recepta philosophia (quidquid in dubium vocent Arriaga & Oviedo) Materiam primam non posse naturaliter sine forma (substantiali) conservari. At in super, eundem sensum fuisse Patrum, atque etiam esse fidelium omnium, quòd quoties desunt dispositiones ad formam corruptibilem, & substantia illa amplius non comparet, ea certissimè perierit, adeòque forma substantialis saltè à posteriori pendeat à suis dispositionibus. Vnde concludit, Ecclesiam ex Veritate Verborum Christi optimè collegisse destructionem substantia panis, quia miracula non necessaria non præsumuntur: non posset autem, stante veritate verborum, manere substantia panis in rerum natura absque miraculo: esset enim opus miraculo novo, si materia maneret in rerum natura: nam postquam spoliata est omnibus accidentibus & formà substantiali, non posset naturaliter in eodem instanti accipere aliam quantitatem & formam: vel enim hoc fieret in eodem spatio vbi erat immediatè ante consecrationem, vel in alio diverso: non primum: sic enim duæ quantitates penetrarentur, quod naturaliter fieri non potest: non secundum, quia deberet intervenire

motus localis, qui non potest fieri in instanti. Addit denique cit. Cardinalis, non esse iuxta rerum naturam, quòd Deus conservando totam Quantitatem panis, conservaret alibi illam materiam cum alia quantitate, quia jam daretur major quantitas intra Cœli ambitum, quàm antè, quod fieri naturaliter non potest.

833. Contra hanc doctrinam objicit Card. Pallavicin. quòd hac ratione Concilium Tridentinum alligasset suam definitionem varijs philosophicis principijs summè incertis & controversis, cuiusmodi est, quòd Materia pendeat à posteriori à forma, & hæc ab accidentibus, quod tamen negat Oviedo & Dicastillo. Vt nos hæc omnia declinemus,

834. Existimo primò, nullà censurà dignum fore, qui diceret, quòd mens Concilij Tridentini non fuerit, definire, quòd in Conversione Eucharistica fiat conversio formalis, seu termini formalis à quo in terminum formalem ad quem, sed solam conversionem termini totalis in terminum totalem. Ratio est, quia, vt vidimus, sunt graves auctores, qui negant posse nomen *Conversionis* applicari termino formali: & quidem certum est, communiter non solere applicari. Videri ergo posset Concilium non accepisse Panem pro sola substantia, sed pro substantia cum suis proprietatibus, & Corpus Christi prout Sacramentaliter existens, esto solis terminis formalibus vsus fuerit. Conversio totalis igitur apertè colligitur ex verbis Christi, & hoc satis erat definire contra hæreticos, quidquid sit, an etiam inde colligatur omnimoda desitio panis, quod non erat necesse definire, quia suffecisset Concilio, si Hæretici agnovissent conversionem totalem, & separationem substantia panis ab accidentibus, vbiunque tandem substantiam panis, sive in concavo Lunæ sive in centro terræ, parùm philosophicè, collocassent.

835. Existimo 2. transmittendo, & supponendo, quòd Concilium voluerit definire etiam conversionem termini formalis, non voluisse tamen definire, quòd in Eucharistica transubstantiatione interveniant omnia, quæ à quibuscunque philosophis in hac questione de nomine requiruntur ad Conversionem strictè dictam, sed solùm voluisse definire, quòd interveniant illa omnia, quæ ab omnibus philosophis requiruntur ad conversionem, nimirum successionem Corporis Christi in officio circa accidentia, & pugnam terminorum formalium circa accidentia, nimirum substantia panis cum Corpore Christi. Nam hoc solum erat quod negabant hæretici, & hoc concessio non fuissent difficiles ad concedendum, quòd substantia panis omnino pereat. Quòd autem hæc mens Concilij fuerit, probatur instantià manifestà. Thomista communiter volunt, ad conversionem requiri, vt terminus formalis ad quem novà actione producat: alij hoc negant: & vtrique in hoc puncto nihil est definitum à Tridentino: ergo non quidquid aliquis philosophus

philosophus requirit ad conversionem, hoc erat definitum etiam in Conversione Eucharistica interveniente. ergo nec voluit definire omnimodam definitionem termini formalis, etiam si aliqui philosophi, alijs contradicentibus, illam definitionem requirant. Hac ratione cessat præfens difficultas.

836. Existimo 3. Iterum permittendo, Concilium definivisse, omnimodam definitionem panis colligi ex verbis Christi, existimo inquam, potuisse hoc definire independentem ab omni principio philosophico incerto. Pro quo supponendum est, miracula non præsumi fieri, quando ea talia essent, quæ omnino laterent fideles, & esset communis persuasio, illa non fieri. Miracula enim fiunt ad instructionem fidelium, ad ostensionem divinæ potentia & bonitatis. Quapropter ad Ecclesiam etiam pertinet definire, quænam miracula fiant vel non fiant. Hoc posito

DICO, Concilium supponendo & indirectè etiam definiendo, circa substantiam panis nullum fieri miraculum contra sensum fidelium, & omnino incognitum, potuisse hoc ipso definire omnimodam definitionem panis, independentem à principijs philosophicis incertis. Declaratur. Quæcumque enim sententia philosophica vera sit, sive affirmans sive negans dependentiam substantiæ ab accidentibus, semper interveniret miraculum contra sensum fidelium, si substantia panis non omnino desineret. Si enim vera sit sententia affirmans dependentiam substantiæ ab accidentibus, tunc si substantia alibi conservaretur, fieret utique miraculum prorsus incognitum, quia substantia connaturaliter deberet perire. Si vera sit sententia negans hanc dependentiam substantiæ ab accidentibus, tunc, vel illa substantia conservaretur alibi sine accidentibus, vel informaretur novis accidentibus: si primum, fieret iterum miraculum incognitum, exigeret enim illa substantia informari accidentibus: ergo miraculum fieret contra hanc exigentiam. Si dicatur secundum, tunc fieret miraculum transferendo insensibiliter & modo naturaliter impossibili aliò nescio quò. Econtra destructio substantiæ panis vel non est ullum miraculum, ut vult communior sententia, vel si est Miraculum, sit juxta sensum fidelium, quia omnes judicant illam desinere. Et sic absolvitur definitio Concilij ab omni principio philosophico incerto. Dico: *incerto*. nam principio certo non est absurdum aligari: ut cum definit accidentia stare sine substantia, supponendo contra Atomistas, dari accidentia distincta à substantia.

CONTROVERSIA III.

Virum in Conversione Eucharistica producat Corpus Christi novâ actione.

837. Prima, & satis celebris est sententia, tot actionibus produci Corpus Christi, quot sunt hostiæ consecratæ. Ita Suarez, Conink,

Præpos. Tanner, Mendoza, Arriaga. Secunda negat. Ita, teste Vasquez, sentiunt omnes antiqui, præter vnum Gabrielem Biel. P. Valera vocat primam ineptam quorundam R.R. opinionem, & contra communem sensum omnium Theologorum, & omnium qui contra hæresim scribunt; quam censuram non probat. Secundam ergo tenent ex R.R. Valent. Vasquez, Torrianius, Bellarminus, Tutrecreman, Galpa Huetadus, Dicastillo, Pallavicinus, Esparza.

DICO ad conversionem Eucharisticam non requiri productionem novam Corporis Christi. Omnis argumentis philosophicis, Probatur Conclusio: Si Corpus Christi debet de novo produci, deberet hoc provenire ex verbis Christi, quorum veritas vel formalitas arguitivè requireret ejusmodi novam productionem, sicut requirit definitionem substantiæ panis sed hoc non est verum. Nam ut fatentur abbasarij, verba Christi essent vera absque hac productione, præcité per hoc, quod Christus esset loco panis: & præterea omisitio novæ actionis non esset miraculosa, sed potius novæ productio esset novum Miraculum non necessarium. Sequela autem probatur ex Tridentino, colligente conversionem ex veritate verborum: ergo ad hanc conversionem requireretur novæ productio Corporis Christi, deberet ea colligi ex veritate verborum Christi.

Respondet P. Conink, ex verbis Christi colligi, Christum replicari: atqui replicatio potest fieri sine nova productione termini, quæ non datur ubicatio distincta à re ubiata ejusdem productione. Sed hac responsio nititur principio falso.

P. Suarez l. 4. §. Tertiò igitur argumentum, respondet, quòd verba Christi intellecta Ecclesia, quòd cum majore proprietate & decenè verificarentur, idque declarat exemplo aquæ in vinum conversa in Cana Galilææ, quam conversionem fuisse veram, & non meram translationem aquæ in alium locum, & additionem vini ex alio loco, semper intellexit Ecclesia.

838. Hanc responsum bene respicit Logico: tum quia hæc major perfectio esse non materialis, & nullo modo formalis, ad verificationem quòd *Hoc sit Corpus Christi*. tum quia exemplum altarum non est ad rem: nam suppositum quòd Christus in Cana Galilææ jusserit aquam haurire & affundi, & non voluerit ludibricè spectantes, sed primo miraculo suam divinitatem comprobare, debuit ea facere, quæ spectantes indicarent esse facta: judicabant autem aquam esse conversam in vinum, nam quando viderent esse conversam in vinum, nam quando viderent aliam in ejus locum substitui sine motu locali, judicamus priorem esse conversam in hæc, & argumentatur S. Thomas q. 75. a. 2. Econtra communis fidelium sensus bene concipit Corpus Christi subsistere accidentibus, absque eo quòd de novo producat, de quo non cogitant, nec vili ratione cogit.

cogit, & est satis magnum miraculum replicari & alligari speciebus: ergo responsio non satisfacit. Mihi sane certissimum est, quod si haeretici agnovissent praesentiam Corporis Christi, & absentiam substantiae panis, negando tamen reproductionem, quod inquam Ecclesia nullam illis de reproductione quaestionem movisset: ergo verum non est, quod Ecclesia voluerit à fidelibus exigere fidem reproductionis, ad verificanda verba Christi cum majore proprietate & decencia.

839. Objiuntur 1. Ad rationem conversionis requiritur destructio termini formalis à quo, ut dicatur converti in terminum formalem ad quem. ergo etiam requiritur productio termini ad quem. Probat Conseq. Quia oppositorum est eadem ratio. 32. 1. Si à termino à quo liceret argumentari ad terminum ad quem, argumentum aequè procederet contra adversarios, nam terminus à quo ita debet desinere, ut nullo modo amplius existat in rerum natura (ut adversarii supponunt) neque ad conversionem sufficeret, si terminus à quo pluribus actionibus prius conservatus fuisset, & una harum actionum desineret reliquis perseverantibus, alioquin Christus converteretur in vermes vel substantiam chyli, quia desineret una actio conservativa Christi, quam sequelam improbant adversarii tanquam absurdam. ergo pariter ad conversionem non sufficeret terminum ad quem novà secundà actione produci, sed deberet ita produci, ut inciperet primò esse. ergo terminus ad quem non debet necessariò eo modo poni, quo tollitur terminus à quo.

Ad hanc retorsionem respondet Arriaga dupliciter. primò esse discrimen inter *destrui* & *produci*. quia *destrui* est terminus negativus, & ideo ad eum verificandum non sufficit desinere vnam actionem, sed opus est, ut omnino desinat. *Produci* verò esse terminum affirmativum, ad quem verificandum sufficit vna actio qualiscunque. Haec sunt verissima, sed extra rem. Ego non quaero, cur terminus ad quem possit produci quin incipiat esse absolutè, & cur terminus à quo debeat omnino desinere, ut dicatur destrui, sed hoc quaero, cur ad rationem conversionis requiratur omnimoda desitio termini à quo, & non pariter omnimoda inceptio termini ad quem?

Itaque Arriaga n. 21. subjungit secundam responsonem, contradictoriam prioris. [Ad rationem, inquit, Conversionis sufficit, si in termino à quo cesset aliqua actio substantialis quae conservabatur, licet maneat altera, ratione cuius res illa absolutè existat in rerum natura.] Haec ille. quae non videntur coherere cum illis, quae habet intra duas columnas; quod ostendo duplici argumento, cuius major & minor propositio est ipsius Arriagae, consequentia verò est contradictoria verborum relatorum. Itaque num. 16. habet haec verba: *Dico primò, requiri destructionem termini formalis à quo. haec est communis omnium.* jam sic argumentor. destructio est omnimoda desitio.

(ita Arriaga: n. 20.) sed terminus formalis à quo debet destrui (ita idem n. 16.) ergo non sufficit, si tantum desinat vna actio & terminus maneat absolutè existens in rerum natura, quae est contradictoria secundae responsonis relatae ex num. 21. Vel sic. *Destrui*, est desinere omnino existere (ita habet n. 20.) sed terminus formalis à quo non debet omnino desinere. (ita habet n. 21.) ergo terminus formalis non debet destrui, quae est contradictoria eorum quae habet n. 16.

Certum itaque est, quod ad Conversionem vel requiratur omnimoda desitio termini à quo, ut habet communior (sed non omnium ut dicebat Arriaga) opinio, vel quod neque requiratur vnius actionis conservativae desitio, sed sufficiat desitio vniionis cum tertio communi. Pater. Nam qui requirunt omnimodam desitionem, potissimum id probant ab absurdo, quod scilicet alioquin Christus converteretur in vermes: atqui hoc etiam sequitur, si sufficit vnius actionis conservativae desitio: ergo vel hoc non sufficit, vel non requiritur. Nunc ad objectionem

32. 2. & directè, transeat antecedens, negatur consequentia, & paritas inter terminum à quo, & ad quem. Disparitas desumenda est ex communi modo loquendi & usurpandi vocem, *Conversio*, quae regulariter tunc tantum adhibetur, quando terminus à quo omnino desinit, etiam si terminus ad quem non producat de novo, & supra vidimus afferri rationes plausibiles pro omnimoda desitione termini à quo, quales non afferuntur pro nova productione termini ad quem.

840. Objiuntur 2. Terminus totalis ad quem debet produci de novo, ergo etiam terminus formalis ad quem. Retorquetur. Terminus totalis debet omnino de novo incipere: ergo & formalis, quod tamen etiam adversarii negant: ergo non valet ab vno termino ad alium argumentatio. Discrimen est, quia ad omnem conversionem requiritur successio termini ad quem: atqui talis successio nec intelligi potest, nisi terminus formalis incipiat de novo exercere munus quod prius non exercebat: ergo debet de novo fieri connexio cum tertio communi, quae connexio constituit intrinsecè terminum totalem: ergo ratione hujus debet terminus totalis de novo incipere: nulla autem talis ratio afferri potest pro termino formali.

841. Objiuntur 3. *Conversio Eucharistica* est vera transubstantiatio, ut desinit Trid. adeoque est conversio substantialis: ergo debet terminus substantialis produci. Probat consequentia, quia Transubstantiatio & Conversio substantialis denominatur à productione termini substantialis. Confirmatur. *Conversio* ut *conversio* est actio & productio: ergo idem est terminus conversionis & productionis: sed terminus formalis Conversionis substantialis (qualis est Eucharistica) debet esse substantia: ergo etiam actio.

32. Ecclesiam definivisse quidem, hanc Conversionem esse transubstantiationem, hoc est conversionem

versionem substantiæ in substantiam, non tamen vocasse *Conversionem substantialem*, sed conversionem substantiæ in substantiam. Concesso itaque antecedente negatur consequentia: ad probationem negatur, Conversionem substantiæ in substantiam seu Transubstantiationem denominari à productione termini substantialis, sed ab introductione termini substantialis; introductio autem termini substantialis in compositum accidentale bene intelligi potest sine productione termini substantialis, vt patet. Ratio responſionis est, quia quantumvis producat *Corpus Christi*, nisi substituatur & introducat in locum panis, non potest dici panis conuersus in *Corpus Christi*, ergo Conuersio quæ talis non denominatur à productione termini substantialis (vt patet in conuersione alimenti in hominem) sed ab eius introductione, adeoque si est introductio termini substantialis, bene potest dici conuersio substantialis; sicut etiam augmentatio quantitativa non denominatur talis à termino producto (non enim producit *Quantitas*) sed ab introducta quantitate. Pari modo quia *Corpus Christi* vt pote substantia introducitur, rectè dicitur Transubstantiatio, seu conuersio substantialis panis in *Corpus Christi*.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quæ etiam aduersarijs in simili neganda est, vt si

dicerem. Augmentatio vt augmentatio est actio ergo idem est terminus augmentationis & actionis productivæ: quod est falsum: quia terminus augmentationis est quantitas, actionis autem est vnio. Item Introductio quæ talis est actio ergo introductio animæ rationalis in novam materiam per nutritionem, est productio animæ rationalis. mala consequentia. Claritas grauius flingui potest antecedens. Conuersio vt conuersio est productio illius quod introducitur, & in modo fit conuersio, nego: est productio compositionis & connexionis, concedo antecedens, & illius consequens: est idem terminus conuersionis & actionis specificativè sumpta, concedo, reprobativè sumpta nego.

Dices. Ergo Transubstantiatio est actio adductiva, quod communiter à R.R. vtriusque furdum rejicitur. 2. Negando sequitur. Non actio merè adductiva plus non dicit, quam productionem Vbicationis, & quidem mediantem locali. Nos autem dicimus, hanc conuersionem consistere in actione introductiva seu sublatione *Corporis Christi* sub speciebus loco panis, conservando accidentia sine pane, & deperditur in

intuitu Christi stabiliter præsentis in Decreto Dei. quæ omnia ex supra dictis constant.

CAPVT VI

DE IIS QUÆ VEL VI VERBORUM, VEL PER CONCOMITANTIAM PONVNTVR IN EVCHARISTIA.

CONTROVERSIAL

Quid ponatur vi verborum sub speciebus Panis.

842. **C**ertum est primò, & quidem de fide, totum Christum secundum omnia quæ substantialiter includit, quatenus est suppositum in duplici natura subsistens, sub quavis specie contineri. ita definitum est in Constantiensi, Basileensi, Florentino, ac tandem Tridentino, contra Sectarios, volentes solum corpus sub speciebus panis, & solum sanguinem sub speciebus vini constitui. Veritas Catholica desumitur ex Jo. 6. *Qui manducat me. Ego sum panis vivus.* Fundamentum est physica connexio partium inter se, vt tradit Tridentinum, vi cuius fit, vt vbiunque ponitur vnum extremum, debeat connaturaliter poni per concomitantiam alterum extremum, nisi sit specialis repugnancia: aliqui tamen volunt connaturaliter ea solum replicari, quæ pertinent ad naturale

subjecti complementum. ita Ariaga & Dicaillus sed hoc ad philosophos spectat.

Certum de fide est 2. facta specierum divisione, totum Christum esse sub quavis specierum parte. Ita Florentinum & Tridentinum, c. 3. & can. 3. ex quo loco etiam satis clare colligitur, ante divisionem quoque specierum iam esse Christum sub quavis specierum parte. & ratio est quia si ante divisionem Christus non esset totus sub quavis parte, sequeretur, facta divisione, nova consecratione incipere Christum esse totum sub vna parte hostiæ, sub qua antè non erat, quod dici non potest, quamvis ab aliquibus tribuantur Alberto & Alethodorenſi, qui tamen intelligi possunt de Vbicatione.

Certum est 3. non solum carmen, sed etiam ossa & nervos esse in Eucharistia: nam lo-

est Christus dixerit: *Caro mea verè est cibus*. per *Carnem* tamen intellexit totum corpus, vt patet tum ex verbis consecrationis, tum ex simili loquendi modo quo vltus est S. Athanasius, dicens: *Animam rationalis & Caro vnus est homo*. Idem dicendum de vnguibus, capillis, dentibus, siue animentur, siue non: pertinent enim ad integritatem Corporis Christi, quod modo habet in Cælo. Illæ verò partes, quas Christus fortè post institutionem huius Sacramenti naturaliter perdidit, & non recuperavit, modò non ponuntur.

Certum est 4. non solum illum sanguinem poni in Eucharistia, quem actu effudit (vt quidam senserunt) sed etiam quem in cruce adhuc in corpore retinuit, si quem retinuit, siue intra venas, siue intra arteriam, siue in iecore &c. & quem etiam reassumpsit, ac modò habet in Cælo. Neque obstant illa verba: *Qui pro nobis effunderetur*. Nam hoc totum verum est, etiam si non totus sanguis effusus sit.

Certum est 5. totam Quantitatem Christi poni in Eucharistia. Durandus, qui hoc negavit, falso nixus est fundamento, quasi repugnet, quantitatem poni definitiue. Ex alio falso fundamento id negarunt Gabriel, Major, & Okam, arbitantes, quantitatem esse ipsam actualem extensionem partium. Itaque in Eucharistia ponuntur omnia accidentia absoluta à loco, non autem ipsa Vbicatio cælestis, supposita communi sententiâ, quòd Vbi non possit replicari.

Vi Verborum formaliter illud poni dicitur sub speciebus, quod per verba consecrationis significatur, & cuius presentia requiritur ad veritatem verborum. Poni autem ex vi verborum Corpus Christi sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini, e contra verò per concomitantiam poni sanguinem sub speciebus panis, & corpus sub speciebus vini, animamque sub vtraque specie, definitum est in Trid. s. 13. c. 3. Hinc

843. Nascitur quæstio, quid significetur per nomen *Corpus*, in verbis Consecrationis. Nam hoc significatum tandem est illud, quod solum ponitur vi verborum consecrationis panis.

Prima sententia est, significari solam materiam primam. ita Gabr. Major, Marfilus, Palud. Agidius, apud Suarez. Secunda est, significari Materiam connotando formam substantialem in obliquo. Sotus, Ledesma, apud Vasquez. Tertia est, significari materiam informatam formis partialibus ossis, carnis, nervorum &c. Quarta est, significari corpus prout est genus subalternum in linea prædicamentali. Durandus, Cajetanus & Thomistæ communiter. Contra Scotistæ recurrunt ad suam formam Corporeitatis. Quinta est, significari Materiam cum forma secundum rationem abstrahentem à forma viventis & mortui. Ità Suarez, à quo vix differunt Gaspar Hurt. & Dicastillo. Sexta est Card. de Lugo, qui dicit, Corpus significare materiam cum aliqua organizatione, disiunctiue & indeterminatè sumptâ, vel substantiali vel accidenta-

li: substantialem Organizationem ponit in diuersitate heterogenea partium, vel ipsius animæ vel vnionis. Septima denique sententia est, Corpus aliud non significare, quàm materiam cum organizatione accidentali, v. g. ossis, carnis &c. Ità Arriaga.

Ex hac sententiarum diuersitate, quamvis sit lis de nomine *Corpus*, eligenda tamen est illa, quæ minimè præiudicet definitioni Tridentini paulò antè relata, & quæ magis consentanea videtur communi modo concipiendi & loquendi, quo dicimus, hominem constare Corpore & animâ.

844. DICO 1. Per *Corpus* non significatur sola materia prima. Probatur. Nemo enim propriè loquendo diceret, in igne hominis combusti aut in cineribus, existere corpus hominis combusti. Deinde tam docti quàm indocti vocant Corpus alteram partem animalium distinctam ab anima, cum dicunt constare corpore & animâ, quo sensu non dicunt corpora non organica constare corpore & formâ: ergo per *Corpus* nolunt significare Materiam nudè, sed affectam organo.

DICO 2. Neque significatur Materia cum anima rationali determinatè. Probatur. Si enim hanc significaret, poneretur anima rationalis vi verborum formaliter sub speciebus panis, & non merè concomitantè, quod est contra Tridentinum.

DICO 3. Neque significatur gradus genericus Corporis in linea prædicamentali. Probatur 1. Per *Corpus* significatur hoc loco substantia incompleta, & prout est comparata animæ in toto. atqui Gradus lineæ prædicamentalis est substantia completa. Ergo &c. Probatur 2. Gradus ille Corporis semper manet etiam combusto corpore, & tamen non dicitur manere corpus Petri combusti vel putrefacti in sepulchro.

DICO 4. Neque etiam significatur Materia cum forma secundum rationem communem ad formam Vientis & Mortui. Probatur. Nam vi verborum ponitur gradus individualis corporis quæ talis, vt patet ex particula *Hoc, &, Meum*. ergo non est recurrendum ad gradum genericum.

DICO 5. Nominè Corporis non significatur vnice sub disiunctione Materia, vel cum anima vel cum forma cadaverica. Probatur. Si nomen *Corpus*, necessariò significat formam substantialem, sequitur, vi verborum poni aliquo modo formam substantialem: consequens est falsum: sequeretur enim vltèrius, poni vi verborum animam rationalem, quod est contra Tridentum. Probatur hæc sequela: illud omne ponitur defacto vi verborum, per quod defacto constituitur Corpus Christi, ità vt eo non posito, positis cæteris quæ defacto habet Christus, non poneretur Corpus Christi: atqui defacto anima Christi (in sententia quam impugnamus) ità constituit determinatè Corpus Christi, vt illà non posita, cæteris omnibus positis quæ defacto habet Christus, non esset positum Corpus Christi. ergo &c.

845. Re-

845. Respondebunt, ideo animam non poni vi verborum, quia licet defacto respectu illius verificetur nomen Corporis, posset tamen etiam verificari, si non illa, sed forma cadaverica adesset, adeoque negarent majorem, & dicerent, illud poni vi verborum, sine quo in nullo casu verba posset esse vera: hujusmodi autem non est anima rationalis determinatè sed disjunctim sumpta.

Sed contra, quia, vt bene argumentatur Lugo n. 76. ad veritatem verborum non ea solùm requiruntur, sine quibus in nullo vnquam casu verba essent vera, sed etiam ea, sine quibus hinc & nunc essent falsa. atqui, licet in triduo mortis vera fuissent verba consecrationis, sine anima rationali posita, defacto tamen non essent vera sine illa omnibus cæteris positis quæ sunt in Christo, quia defacto Corpus datur forma cadaverica, per cuius positionem verificaretur vox *Corpus*, sicut aderat in triduo mortis. ergo responsio data non sufficit. Major probatur. Defacto in omnium sententia ponitur vi verborum totum & plenum Corpus Christi, sicut & totus sanguis quem defacto habet sub specie vini, esto verba consecrationis vera fuissent pro tempore, quo Christus non habebat tam plenum corpus, sed jejunijs attenuatum: ergo ad veritatem verborum non sufficit poni id, quod in alijs circumstantijs sufficeret ad ea verificanda, sed requiritur omne id, quod in casu præsentè requiritur determinatè, vt verba sint vera.

Confirmatur. Nam sicut non pro quocunque casu ad verificanda verba requiritur anima, ita nec requiritur hæc materia determinata quam Christus modò habet, nam successivè alias & alias particulas perdidit & acquisivit: atqui si modò ponerentur partes quas aliquando habuit sed modò non habet sine partibus quas modò habet, verba consecrationis defacto non essent vera, licet pro illo alio tempore fuissent vera, quia non poneretur id, quod modò est Corpus Christi prout significat forma Verborum: ergo pari modo etiam si poneretur modò forma cadaverica, non poneretur Corpus Christi quod habet nunc, si non poneretur anima, si vera esset sententia Vasquez quam impugnamus: ergo anima quæ talis poneretur vi verborum.

846. DICO 6. Probabilius mihi est, hoc nomen *Corpus* vsurpatum ad significandam alteram partem animalis, non esse primò impositum, nec communiter & vulgò vsurpari ad significandam organizationem substantialem, proventientem formaliter ab anima, ne quidem disjunctivè & indeterminatè, esto detur talis organizatio substantialis. Probat. Nam quando homines dicunt: *Homo constat corpore & animà*: loquuntur de duabus partibus ita contradistinctis ab invicem, vt neutra alteram importet & includat in obliquo. alioquin propositio ita resolventa esset: *homo constat materià habente animam rationalem & animà rationali*, quod idem esset ac di-

cere: *homo constat animato & animà*, quo loquendi modo nemo vitur, ergo vera est conclusio.

847. DICO 7. Etiam permittuntur tri formas partiales substantiales, non proprie per nomen *Corpus* significantur illa determinatè & vnicè in obliquo. Conclusio non solùm est contra illos, qui formas partiales admittunt, quæ putant ex Mysterio Eucharistie probari, sed insuper est contra P. Dicastillo, qui putat, admissis formis partialibus eas per *Corpus* in obliquo importari. Probo Conclusionem. Si detur formæ partiales, ad eas ipsas prærequiruntur diversæ dispositiones accidentales in diversis partibus materiæ. ponamus ergo per abolitionem potentiam non poni formas partiales, quod solo prohibet materiam cum illa diversitate dispositionum accidentalium vocare *Corpus* organum, quid enim est aliud *Corpus* organum, quam materia habens diversæ organa, seu heterogeneitates, in ordine ad diversas operationes permanentes eliciendas? quidni in illo casu non possent elici hujusmodi operationes, quæ quidem formæ partiales non influunt, sed anima cum accidentibus? Vnde sic argumentor, illud non ponitur quæ tale vi verborum, quod quæ non requiritur determinatè ad verificandum verbum: *Corpus*, sed formæ partiales quæ talia non requiruntur, quia etiam sine illis verificaretur præcisè per positionem organizationis accidentalis: ergo &c. Itaque si formæ partiales detur, ad summum illa significantur disjunctivè & indeterminatè per *Corpus*, sc. vel organizationem substantialem vel accidentalem, quarum neutra determinatè requireretur, & ideo neutra determinatè poneretur vi verborum. Quia verò hodie communior est opinio, formas partiales non dari, ut

848. DICO 8. probabilius est, per *Corpus* significari Materiam cum organizatione accidentali determinatè. Probata manet Conclusio ex reiectione aliarum sententiarum, & quæ ita facile declaratur, quàm rectè dixit Traditum, animam poni concomitantè, hoc enim secundum hanc Conclusionem verum est in omni rigore etiam physico, nec quidquam cogitur referre ad illam duplicem organizationem disjunctivè importatam, ita vt anima indeterminatè sumpta ponatur vi verborum formaliter, determinatè verò eadem anima ponatur concomitantè, vt putat Lugo. Sanè, si sincere loqui velimus, non concomitantè poni; supponit assignabile esse illud quod determinatum, quod formaliter ponitur.

849. Objicitur 1. Si in homine nullus detur organizatio accidentalis, adhuc verum esse dicere: *Homo constat corpore & animà*, ut tunc non verificaretur ratio organizationis accidentalis: ergo ratione organizationis substantialis. Respondet Arriaga rotundè, negatè antecedens, & meritò: quia de illo casu anteliter impossibili non cogitantur primi inventores hujus vocis *Corpus*, ergo nec extendendum est illum. Potest etiam distingui antecedens. Hinc verum

verum dicere phrasi scholastica & metaphysica, transeat antecedens: attento conceptu vulgari, quem Concilium magis præ oculis habuit, nego.

Objicitur 2. Ergo conversio Eucharistica non est merè substantialis, sed partim substantialis partim accidentalis. Probatür sequela. Nam panis convertitur in omne illud, quod vi verborum ponitur: atqui id quod vi verborum ponitur, partim est substantia, nempe materia prima, partim accidentia, nempe organa. Respondet Vasquez concedendo sequelam: neque Tridentinum negavit intervenire etiam conversionem accidentalem ex parte termini ad quem. Verum neganda est sequela ex duplici capite: primo, quia in illud solum fit conversio, quod formaliter succedit termino à quo in munere & officio: hoc autem convenit soli substantia: Corporis Christi, non accidentibus. 2. quia in illud solum fit conversio, quod immediate pugnat cum termino à quo in ordine ad tertium: atqui accidentia Christi non pugnant immediate cum substantia panis in ordine ad accidentia panis, sed præsupponunt materiam primam immediate pugnantem.

CONTROVERSIA II.

Quid ponatur vi verborum sub speciebus vini.

80. DICO 1. In sententia communiore Medicorum & Physicorum, quòd sanguis in corpore non sit animatus, sed habeat formam substantialem ultimam contradistinctam ab anima, vi verborum ponitur non solum materia, sed etiam illa forma substantialis, accidentia autem concomitanter. Probatür. Nam in hac philosophica sententia vox *Sanguis* non significat materiam organizatam, sed significat naturam substantialem, importantem utramque partem aqualiter in recto, sicut lac, vinum, aqua. ergo ad veritatem verborum consecrationis non minus necesse est poni formam sanguinis, quàm materiam.

DICO 2. In sententia asserente Sanguinem animari, philosophandum est de sanguine, sicut philosophati sumus de Corpore Christi, nempe, quòd sanguis sonet partem organizatam, ad eoque importet materiam in recto, & organizationem accidentalem in obliquo: vel si quis mavult cum Lugone dicere, rò Corpus abstrahere ab organizatione substantiali & accidentali, etiam in præsentem eodem modo philosophabitur.

CONTROVERSIA III.

Quomodo Divinitas & Personalitates divine existant in Eucharistia.

81. Certum est, propriè & formaliter loquendo, Divinitatem non poni in Eucharistia,

cùm jam ante consecrationem ibi sit, nec vi consecrationis accipiat novam vbiacationem, sicut Corpus Christi.

Dubitatur aliqui, an Verbum significetur formaliter & vi verborum vt præfens, adeo vt si per impossibile non existeret vbi que, deberet vi verborum esse præfens.

Dicendum est, Verbum tantum esse præfens per concomitantiam, propter admirabilem illius cum Corpore & anima conjunctionem.

82. Objicies 1. Pronomen *Meum* significat corpus haberi & possideri à Personalitate ac subsistere: ergo significatur formaliter Personalitas. 2. rò *Meum* adhuc verificatum iri, etiamsi nec vnio nec Personalitas esset præfens ipsis accidentibus Eucharisticis. Ratio est, quia ex recepto modo loquendi & usurpandi pronomen *Meum*, ad hoc vt aliquid sit meum, sufficit, esse mihi à parte rei conjunctum eà conjunctione (sive physica sive morali aut civili) vi cuius dicitur esse *meum*, etiamsi ego non existam ibi, vbi est illud quod dicitur meum. Sic Pater audiens nomen Filij sui Francisci, potest dicere: est meus filius, vbiunque ille sit, & ita inscribimus Epistolas: Meo fratri; cognato &c.

Replicabis. Ergo eodem modo posset quis dicere, ad verificanda verba consecrationis, non esse opus poni sub speciebus vllam organizationem, sed sufficere, si ponatur ibi materia prima, quæ habeat à parte rei alibi sibi vnitam organizationem, consequens nemo admittit. 2. Negando sequelam & paritatem: disparitas desumitur ex vtu communi hujusmodi vocabulorum & locutionum, quibus volumus significare, in illo loco non solum esse subjectum, sed etiam formam à quâ denominatur sub illo vocabulo quo tunc utimur, v. g. si quis diceret: *hic est frigidus aer*: non censeretur verum dicere, si aer hic existens alibi replicatus haberet frigus, sed deberet hic habere frigus, & sic de alijs, præfertim formam physicam importantibus concretis. Ita planè Christus cùm invitaret Apostolos ad manducandum, dicendo: *accipite & comedite: hoc est corpus meum*, decepisset Apostolos, si illis tantum porrexisset Materiam primam sui corporis; nam illud quod formaliter voluit exprimere, erat Corpus, sicut quando dixit: *Caro mea verè est cibus*. Vnde Apostoli meritò supposuerunt, se comedere carnem Christi: nemo autem diceretur comedisse carnem, qui comederet materiam primam alibi affectam formâ carnis: jejunium certè non violaret.

Objicitur 2. In sententia quòd sanguis non animetur, sanguis habet suam subsistentiam specialem, & illam vt talem importat: ergo illius subsistentia poni debet vi verborum: sed subsistentia sanguinis Christi est ipsum verbum: ergo vi verborum debet saltem in calice existere Personalitas Verbi. 2. Quando loquimur de sanguine vt est pars hominis, non importatur subsistentia, sed præcise natura, alioquin non posset

I I I I cum

cum veritate dici Verbum assumpsisse sanguinem : sicut ergo quando nominamus caput , manum &c. non significamus subsistentiam partem capitis, manus &c. nam rectè dicitur natura humana constare capite, manu &c. ità etiam de sanguine philosophandum est.

853. Queritur ulterius, an in Eucharistia saltèm per concomitantiam addit speciali titulo Pater & Spiritus S. Respondet S. Thomas & cum

eo Theologi affirmativè : sicut enim sunt cum Humanitate propter conjunctionem cum Verbo, ità rectè dicuntur esse in Eucharistia. & ita S. Thomas *opusc. 63. c. 2. p. 3.* dixit : Quoties à Sacramento oblatum fuerit hoc sacrificium, toties Deus Patrem cum Filio & Spiritu S. se totum ad fruendum exhibet, quod idem dixerat S. Bernardus.

CAPVT VII.

DE ACCIDENTIBVS PANIS ET VINI MANENTIBVS IN EVCHARISTIA.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Accidentia Panis remaneant.

854. **R**ecentiores aliqui, quorum meminit Card. Pallavicin. & Esparza, astitunt dicere, probabile esse, quòd nihil remaneat physicum & reale in Eucharistia ex accidentibus panis & vini, sed tantùm interueniant species intentionales existentes in aère & sensibus. Porro has species ajunt esse species ipsius Corporis Christi, causatas seu emissas à quibusdam particulis Corporis Christi. nam teste Divo Thoma 3. p. q. 54. a. 1. ad. 2. & 3. Corpus gloriosum potest modificare suam apparentiam prout vult. Addunt deinde, posse etiam dici, species intentionales panis & vini manere sine accidentibus illis realibus quæ representant, & à quibus prius emittebantur.

Dicendum est, remanere realia accidentia panis, & sententiam contrariam ad minimùm esse temerariam, si non omnino directè contra articulum fidei, definitum in Tridentino aliisque Concilijs, dicentibus, manere duntaxat species panis, & Christum esse sub speciebus, & sub singulis earum partibus separatione facta. Et quidem Constantiense Concilium damnat VVicleffi propositionem hanc : *Accidentia panis non manent sine subiecto in hoc Sacramento.* Porro Concilia definiendo manere species, utique in eo sensu definiuerunt, in quo & antè & postea communis fidelium & Doctorum sensus eas manere apprehendit, nempe illa, quæ ex parte objecti sensus judicant manere, ut albedinem, saporem, humiditatem : nam per hæc, & non per species intentionales denominatur Corpus Christi sensibile & designabile signum.

Confirmatur. Horum Christi verborum *Hoc est Corpus meum*, sensus clarus & apertus est iste : id quod in fine propositionis subest istis accidentibus, quæ videntur toto locutionis tempore, est corpus meum : ergo accidentia, quæ Christus designabat per part. *Hoc*, debebant manere in fi-

ne propositionis ; alioquin verba Christi conerent falsam suppositionem, prout etiam docet P. Esparza.

855. Controuersum est, an definitio Conciliorum se extendat ad omnia profus accidentia realia panis, quæ à substantia panis separantur, etiam si non percipiuntur sensibus, ut dicuntur qualitates occultæ. Affirmat Vasquez, colligens ex illa particula Tridentini : *Duntaxat* Panis, inquit, si non est de fide omnia manere : ergo est de fide illa non manere quæ non percipiuntur sensibus.] Rectius tamen videtur negare Suarez, Arriaga & alij, quia per part. *Duntaxat*, voluit Concilium solum excludere substantiam, ut patet ex scopo Canonis. Nihilominus, etsi Concilij definitio non se ad omnia extendat, est tamen sententia DD. sententia, omnia manere, quia omnia quo modo percipiuntur sensibus, immediate vel mediare, & quia non est ratio cur destruantur, præsertim si Quantitas est subiectum commune accidentium, & sic melius intelligitur, quomodo Christus succedat Pani, & denominetur Panis.

CONTROVERSIA II.

Quomodo ex speciebus consecratis generetur Substantia.

856. **C**ertum est 1. Accidentia Eucharistica tandem corrumpi, ut Christus delectus esse sub illis ; vnde sequitur, quòd ibi percipiuntur accidentia contraria accidentibus panis, & quæ, quantum est ex se, consecrative & dispositivè expellerent formam panis ex materia, si substantia panis subsisteret illis accidentibus.

Certum est 2. & teste S. Thomà ad sensum manifestum est, ex speciebus Sacramentalibus aliquid generari per earum corruptionem, ut res-

mes, cineres, item in stomacho chilum : vnde & homo nutrir poller, quidquid dubitaverit Parisiensis, VValdensis & alij. Queritur ergo, quomodo & ex quo subiecto hac generatio fiat, cum nulla adit materia, ex qua forma vermis aut cineris &c. educatur.

S. Thomas in 4. dist. 12. a. 2. *questiunc.* 4. explosis aliorum sententij ex se satis absurdis, deas refert : prima est, reproduci Materiam primam, vel eandem numero quæ destructa erat, vel aliam, & ex ea deinde educi formam substantialem. Altera est, formam substantialem educi ex quantitate, cui Deus det virtutem materia, propter ejus cum materia propinquitatem. Priorem opinionem ait esse probabilem, posteriorem verò videtur præferre. vnde non rectè dixit P. Dicastillo, S. Thomam expressè tenere hanc priorem. Postmodum S. D. in sua Summa q. 77. a. 5. priorem illam rejicit, & apertè amplectitur posteriorem, his verbis. [Melius videretur dicendum, quòd in ipsa consecratione miraculosè datur Quantitati dimensivæ panis & vini, quòd sit primum subiectum sequentium formarum.]

Hac sententia, quam teste Soto tenuerunt antiqui Thomistæ, ipsi Thomistis non amplius placet, & dum Cajetanus eam conatur in bonum sensum trahere, aliam incredibiliorem substituit (cui consentit Sorus) nempe ipsam Quantitatem fieri Materiam, ità vt eadem omnino res, quæ antea erat quantitas, fiat Materia. In his rejiciendis non est Theologo immorandum, sed ex philosophia supponendum, quòd forma substantialis non possit cum accidente constituere substantiam completam, vt est vermis &c. multò minùs Quantitas fieri Materia.

87. Dicendum ergo est, produci in instanti generationis Materiam primam, eamque vniri quantitati Eucharistica, & ex illa materia educi formam substantialem.

Obijcitur. Hoc non posse contingere sine mutua prioritate inter materiam, & accidentia. Nam imprimis materia præsupponitur ad illa accidentia in instanti suæ productionis, quia quantitas ab illa sustentatur : e contra quantitas cum ceteris dispositionibus præsupponitur ad productionem Materie : ideo enim producit à Deo materia in hoc instanti, quia videt esse positam vltimam dispositionem ad formam substantialem vermis v. g. nisi enim hoc videret, adhuc relinqueret ibi Corpus Christi.

Responderi posset 1. In primo signo intelligi quantitatem cum ceteris accidentibus, & vltimà dispositionem, sed independentè à materia prima, in secundo signo produci materiam primam, in tertio educi vnionem illius cum quantitate (nec enim est absurdum formam creativè existentem vniri per vnionem educam, vt patet in anima rationali) in quarto signo desinere Corpus Christi esse ibi, & produci formam substantialem : postea verò in sequenti instanti reali educi quantitatem è materia & vnà cæteris acci-

dentibus pendere à Materia : sicut in simili philosophantur aliqui de dispositionibus, quas dicunt in primo instanti Generationis pendere ab agente extrinseco, & præsupponi ad formam substantialem educendam, deinceps verò ab ea emanare.

Respondetur tamen secundò & faciliùs, accidentia nunquam præsupponi pro priori signo Naturæ ad Materiam, sed ex eo quòd pro instanti A. reali præcesserit penultima dispositio ad formam vermis, & quòd in instanti B. perseveret adhuc applicatum agens, aptum producere vltimam dispositionem, hoc viso Deus producit in instanti B. pro posteriore signo naturæ Materiam primam, in tertio signo desinit ibi esse Corpus Christi, vt pote cedens materię, quæ illis accidentibus substat : deinde producit vltima dispositio, ac denique forma substantialis.

88. Quæres, an producat Materiam nova, distincta ab ea quæ fuit per consecrationem destructa, vel an reproducatur illa ipsa quæ destructa fuit. S. Thomas ait, irrationabiliter dici, reproduci priorem materiam, putat enim fore miraculum si eadem res reproducatur.

E contrario S. Bonaventura, Alensis, Suarez, Conink, Tanner, Gaspar Hurtadus, Lugo, Pallavicinus, Arriaga, Esparza, docent eandem reproduci, cuius variæ afferuntur rationes. Prima est, quia Quantitas, vt pote coarva Materie, videtur habere respectum & exigentiam ad hanc numero materiam, aut certè postquam semel in illa fuit, exigit non poni in alia. Secunda. Materia ex Natura sua erat incorruptibilis : ergo cum per violentiam & contra suam Naturam fuerit corrupta, mirum non est, si dato casu quo nova producenda est ex vi præcedentis violentie destructionis ipsa reproducatur, & sic quasi in integrum restituatur. Tertia ratio, quæ est Pallavicini & declaratoria prioris. Materia prima non solum habebat jus substandi accidentibus (in quod jus successit Christus) sed etiam habebat jus vt retineret existentiam mutatis his accidentibus : hoc autem jus non videtur auferri à materia per consecrationem, vt pote quæ vi miraculi perdit ex naturalibus minimum quod potest fieri. atque adeo perdit solam durationem temporaneam, non æternam, quam perderet si non reproducatur deficientibus accidentibus panis. Confirmatur ab eodem. Sic enim melius defenditur, quomodo singuli sint resurrecturi cum corporibus suis, si nempe nihil materię vltius hominis deficiat in fine mundi, quod tamen facillè fieri posset, nisi reproducatur. poterat enim aliqua materia corporis humani accepisse formam panis, & fuisse consecrata.

Obijcitur. Non datur reditus à non esse ad esse in formis corruptibilibus : ergo nec in Materia. Nego consequentiam & paritatem. Nam formæ corruptibiles ideo non reproducuntur, quia Natura amat varietatem, & non perpetuitatem illorum entium, sicut amat perpetuitatem Materie primæ.

CAPVT VIII.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIE

CONTROVERSIAL.

Quomodo verificentur verba Consecrationis.

859. **R**atio dubitandi est. Quia sensus illius propositionis: *Hoc est Corpus meum*: videtur omnino requirere, vt Corpus Christi sit sub illis speciebus vel per totum tempus propositionis, vel ad minimum tempore quo proferitur copula, est. hoc autem est falsum, incipit enim primum esse presens in fine propositionis.

P. Suarez d. 58. l. 5. docet, loquendo de propositionibus, quarum veritas pro vno instanti existere potest tempore locutionis (qualis non est illa qua dico: *Ego taceo*: nec illa qua motum localem significat, vt: *ego venio*: sed illa qua significant vel motum instantaneum, vel existentiam rei permanentis) de his inquam propositionibus docet Suarez, ad earum veritatem sufficere, si pro aliquo instanti, quodcumque illud sit, respondeat obiectum propositioni, sicut ad veritatem propositionis indefinita, qua dico: *aliquis loquitur*: sufficit, siue loquatur Petrus, siue Paulus.

Contra hanc explicationem sic argumentor. Veritas horum verborum: *Hoc est Corpus meum*: ita debet defendi, vt excludat simultaneam veritatem hujus: *Hoc est panis*. Nam Sacerdos cum veritate diceret: *Hoc est Corpus meum* (id est Christi) & non panis. atqui secundum Suarez hac non procederent: ergo &c. Minor probatur. Nam hac propositio etiam esset vera: *Hic est panis*: quia sensus esset secundum Suarez; Pro aliquo instanti quo durat propositio, illud quod substat accidentibus, est panis, quod est verissimum.

Confirmatur. Contradictoria hujus: *Hoc est Corpus meum*; est hac: *Hoc non est Corpus meum*. ac proinde ejus sensus deberet esse vniuersalis, negans presentiam Corporis Christi pro omnibus & singulis instantibus propositionis, nempe: *In nullo instanti id quod substat accidentibus, est Corpus meum*. ergo etiam hac esset vniuersalis: *Hoc non est panis*. ergo sensus esset iste: In nullo instanti propositionis id quod substat accidentibus, est panis. sed hac esset falsa: ergo contradictoria esset vera: scilicet: hoc est panis: & quidem esset vera, dum etiam esset vera altera, *Hoc est Corpus meum*.

860. Dicendum itaque est, veritatem hujusmodi propositionum, siue sint affirmatiue, siue negatiue, habere hunc sensum: *In fine propositionis obiectum sic se habet*: vel: *non sic se habet*. Videtur supponi hac Conclusio à S. Thoma 2. 2. a. 7. ad. 3. vbi dicit: [Ista conuersio fit in ultimo instanti prolationis verborum, tunc completur verborum significatio, quae est eorum in Sacramentorum formis.]

Probat 1. à posteriori. aliquis si quis volens asserere Petrum esse sanctum, in tantum, dum proferit vocem, Petrus, per revelationem intelligeret, eum tunc peccare mortaliter, nisi adhuc salva veritate addere: *est factus*. quod est falsum & à nemine concessum, teneatur enim abrumper: ergo signum est, quod ad minimum affirmer, esse sanctum pro fine propositionis.

Probat 2. à priori. Antequam prolationis & prolationis predicari, nondum est affirmatum predicatum de subiecto simpliciter & absolute, quia nondum exiit plena significatio: ergo sicut per prolationem predicari absolute & consumatur propositionis significatio, in ea mente loquentis satis est, & etiam requiritur, vt sine fine propositionis obiectum ita se habeat, sicut ille pronuntiat, & hoc vel maxime verum est in propositionibus practicis, hoc est, suorum doctorum effectiuis, & quae seipias verificant, vt est hac, *Ego tibi debitum condono*. talis est etiam forma consecrationis. ergo.

861. Obijcit 1. Si verba deberent verificari in ultimo instanti intrinseco propositionis, sequeretur verba operari suum significatum antequam illud complete significent. consequens est absurdum: nam significando causant: ergo absurdum est, verba affirmare praesentiam Corporis Christi pro fine propositionis. Sequela potest probari dupliciter. 1. Tunc verba primum complete significant, quando ab audiente complete percipiuntur: sed non nisi post morulam percipiuntur, vt ex philosophia constat; ergo non nisi post morulam verificabuntur. Ad hoc tamen factum responderetur, verba causare non per actum significacionem, sed per vim significatiuam quam habent in actu primo, & completam quando morulam absoluta in ore loquentis.

Fortius probatur sequela objectionis hoc modo. Tandiū verba non habent completam significacionem, quamdiū adhuc sunt per alia subsequētia verba determinabilia ad sensum perfectum, ita vt adiectione alicujus vocis falsificaretur forma, & sensus requisitus destrueretur: ergo vt verba habeant completam significacionem & sensum requisitum pro valore formæ, debet accedere negatio vocis corruptivæ sensus requisiti. Consequentia videtur esse bona. Antecedens probatur in exemplo: si Sacerdos verbis consecrationis, *Hoc est Corpus meum*, adijceret vocem, *æreum*, non consecraret, vt præced. tract. dictum est, quia *æreum*, destruit sensum legitimum formæ & vocis *Corpus*, quod deberet significare corpus organicum & humanum: quam significacionem non habet completè nisi per omissionem vocis, *æreum*: ergo significatio verborum & sensus legitimus, absolvitur primū post illam moralam quā possit adijci vox *æreum*. Pro solutione

862. Notandum 1. Hæc duo esse diversa: sensum propositionis esse completum: & sensum propositionis carere æquivocatione: seu: sublata esse æquivocationem in ordine ad audientes. v. g. dum dico, *Hoc fecit Petrus*, est sensus completus sed æquivocus, quia potest intelligi vel de Petro A. vel de Petro B. hæc autem æquivocatio bene stat cum sensu completo; nam hæc est natura æquivocorum, vt habeant duos sensus completos, & per intentionem loquentis possint ad unum determinari, ita vt proferens non sit mentitus, nec imperfectè locutus: alioquin, vt observat Lugo, nec Prophetæ, nec Sybillæ, nec qui scribunt Hebraicè sine punctis, nec qui videntur hieroglyphicis, loquerentur aut scriberent in sensu completo, quod dicere est absurdum. Jam verò si illi propositioni, *Hoc fecit Petrus*, adijcerentur hæc aut similia: *filii Prætoris*, erit sublata æquivocatio in ordine ad audientes.

Notandum 2. Aliquas propositiones esse æquivocas hoc sensu, quod sine alijs additis habeant sensum perfectum, & alium imperfectum; vnde si proferantur cum intentione sensus perfecti, habent illum in actu secundo, & si sint practica propositiones, efficiunt in fine quod significant. Hujusmodi esset ista; *Ego te accipio in meam*. nam sine adiectione possunt ex intentione loquentis habere sensum absolutum; quodsi tamen adijcerentur hæc alia: *si pateris consenserit*: habent sensum conditionatum & imperfectum seu incompletum. Similiter (& est exemplum Lugonis) hæc propositio: *Christus non est in Eucharistia*, ex intentione loquentis potest esse hæretica, & hunc sensum habet completum: habet tamen simul etiam sensum incompletum, quatenus adijci possent hæc: *ante consecrationem*, & in hoc sensu prolata non esset hæretica. Hinc infert Lugo, Dicastillo & Pallavicinus, eum qui ex animo contrahendi matrimonium, aut hæresin proferendi, proferret priora verba: sed pœnitentiâ ductus statim mutato consilio adijceret posteriora, reve-

rà contractū obligari in priore casu, & in posteriore incurrisse censuram latam in hæreticos hæresin proferentes. Ratio patet ex dictis; quia verba fuerunt ex intentione loquentis prolata in sensu completo, quem habent sine adiectis, esto per adiectionem aliorum deciperet audientes, quasi ea protulisset in sensu incompleto. His positis

863. Responderet ad Objectionem, negando antecedens. ad probationem responderet, *æreum* esse æquivocum, ita vt in sensu quem habet completum, significet corpus organicū, & in sensu quem habet incompletum, significet corpus phantasticum. Jam ergo, quando proferitur ex intentione prioris sensus, habet sensum completum, antecedenter ad omnem morulam subsequētem, seu antecedenter ad silentium subsequens, sive quod idem est, antecedenter ad omissionem vocis, *æreum*, pro tempore sequenti: hæc autem negatio seu silentium, tantum servit ad tollendam æquivocationem in ordine ad audientes, non verò in ordine ad hoc, vt habeat sensum completum.

CONTROVERSIA II.

An verba caussent Conversionem Eucharisticam vt vera.

864. **A**ffirmat S. Thomas a. 5. vbi ait: Veritas hujus locutionis: *Hoc est Corpus meum*: non præsupponit rem significatam, sed facit eam.

Contra hoc obijciunt argumentum philosophicum. Veritas formalis propositionis vocalis est denominatio partim extrinseca, desumpta ab existentia objecti: ergo non potest suum objectum significatum causare vt formaliter vera, hoc est, ita vt pro priori natura præsupponat ipsam veritatem formalem adæquatam; sic enim objectum præsupponeretur immediatè ad se ipsum.

DICO 1. Veritas formalis formæ consecrationis, non est causâ conversionis Eucharisticæ, nec præcedit pro priori natura, sed solum præcedit significatio objecti. Ità post Scotum Suarez, Valq; Tanner, Lugo, Dicastillo. Probatur. Et quidem quod pro priori natura debeat præcedere significatio, est clarum, non enim causant verba merè materialiter spectata, sed vt significantia, vt patet ex alibi dictis. Quod autem pro priori natura non præcedat Veritas formalis, evincit ratio allata.

DICES. Locutio vera de præsentī, præsupponit in loquente cognitionem & iudicium de objecti existentia: ergo multò magis præsupponit existentiam objecti. Probatur antecedens. Nam prius est scire quàm loqui; locutio enim ad hoc instituitur, vt loquens communicet audienti, quod ipse scit: ergo qui aliquid affirmat vocaliter, debet prius mentaliter scire, rem ita se habere. **R.** 1. Hoc argumentum nimium probare, scilicet, Christum jam esse sub accidentibus, antequam Sacerdos incipiat proferre formam: item Sacerdotem scire aut credere, illud jam adesse antecederet

recedenter ad formam. *re. ergo 2.* Distinguen-
do antecedens. locutio merè speculativa præsup-
ponit tale iudicium, concedo: locutio practica seu
causalitativa sui objecti, nego. Discrimen est, quòd
prior cum non possit ponere conformitatem obje-
cti secum, debet scire jam aliunde positum esse,
aut poni pro ultimo instanti: at verò locutio pra-
ctica, cum possit hanc conformitatem ponere faci-
endo ipsum objectum, & sic verificare seipsam,
non præsupponit cognitionem de objecto aliunde
posito, sed satis est ad cavendum mendacium, quòd
præcedat cognitio de objecto per ipsam locutio-
nem ponendo: ut si dicam: *Ego tibi centum, quos
debes, remitto.* Aliud exemplum appositum affert
Dicasillo n. 226. [Si, inquit, tu à me quæras
vnum cermen factum ex tempore, & ego inconti-
nenti dicam: *Ecce! ego jam subito, quod quæris,
profero cermen:* quando incepi, nondum erat cer-
men, certus tamen quòd quando absolvam, erit
cermen, possum salvà veritate incipere affirmare.]

Objicies. Concilium Trid. colligit præsen-
tiam Christi ex veritate verborum: ergo debent
antecedenter esse vera. Nego Conseq. Nam vt
Concilium legitime inferat presentiam Corporis
Christi, abunde satis est, verba esse vera, sive de-
inde verificent seipsa, sive aliunde habeant veri-
tatem.

865. DICO 2. Pro priori natura verba
sunt vera veritate radicali & existentiali. Proba-
tur Conclusio. Verba consecrationis pro priori
natura sunt verba prolata in persona Christi, qui
mentiri non potest: ergo quæ talia habent infalli-
bilem connexionem cum objecti conformitate,
non minus quam actus supernaturales: sed hæc
est veritas radicalis: ergo. &c.

CONTROVERSIA III.

Quomodo significet pronomen Hoc & Hic in Verbis Consecrationis.

866. PRIMA sententia est Alexandri, docentis,
pronomen *Hoc*, supponere quidem pro
substantia panis determinatè, & pronomen *Hic*,
pro substantia vini, sed tanquam pro signis Cor-
poris Christi existuri sub illis accidentibus, vt
proinde hæc propositio: *Hoc est Corpus meum*, ha-
beat hunc sensum: *significatum per hunc panem est
corpus meum.* Ab Alexandro non multum differt D.
Bonaventura, qui vulgè pronomen *Hoc* supponere
pro pane, sed copulam *est* non significare identi-
tatem, sed transitum, vt sensus sit: *Hoc transit in
corpus meum.* Rejicitur vterque; quia copula *est*
debet sumi in sensu proprio, vt monet Tridenti-
num dum ait: Christum dixisse verè corpus suum
esse id quod sub specie panis offerebat.

Secunda Sententia est, pronomen *Hoc* sup-
ponere pro Corpore Christi. Huic sententiæ, vt
observavit S. Thomas, objicitur, quòd ex ea se-
qui videatur, propositionem fore identicam & ne-
gatoriam, dum faceret hunc sensum: *Corpus meum*

est corpus meum. Omnis varijs solutionibus in-
sufficientibus, quæ apud Vasquez videntur.

Dicendum est, pronomen *Hoc* determinatè
dem in solo Corpore Christi verificari, non
illud significare explicite & determinatè
conceptu Corporis Christi, sed sub conceptu
muni ad quamcumq; substantiam, quæ per
accidentia designari possit, vt sensus sit: *Substantia
quæ in fine propositionis subsistat istis accidentibus
est corpus meum.* Vnde si non fieret consecratio,
diceret: *Hoc est panis*, conceptus ex parte panis
minis esset planè idem, hoc est, contentum.

867. Dubium est, an illa pronomen trans-
pianitur substantivè, an verò adjectivè, an
pronomen illa sint subiectum illius propo-
sitionis, an verò prædicatum, vt sensus sit: *Corpus
meum est hoc*, seu: *est contentum sub his speciebus.*

Prima sent. docet, accipi adjectivè, de-
bere rationem prædicati. Ità Vaso, Lugo, &
Dicasillo, secuti Maldonatum & alios.

Secunda sent. communis, contrarium
tam probat, quam supponit.

Tertia est media, Card. Pallavicini, n.
n. 244. fatetur pronomen illa poni adjectivè,
& quidem, si subtiliter inquit, considerentur,
semper debent, nec aliter possunt poni quam
adjectivè, sunt enim relativa, adeoque sunt
subintelligitur aliquid substantivum, carac-
ter illud relativum. Deinde verò negat, pro-
nomen illa esse in forma consecrationis prædi-
catum, & sic denique sentit cum secundâ senten-
tia.

Hæc expositio mihi etiam placeat, & pro-
batur ab eodem auctore imprimis ex verbi consecra-
tionis, prout referuntur à S. Paulo, ad Cor.
II. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.*
Probat 2. hoc discursu. Christus postquam
Jo. 6. dixerat, suam carnem fore manducandam,
& sanguinem bibendum, ad hoc jam facendum
non solum invitabat, sed etiam suo præcepto
compellebat dicens: *accipite & manducate et omnes:*
vt autem illos ad manducandum moveret,
rationem addidit: *quia est corpus meum.* His
verbis continetur syllogismus, quo Christus por-
tavit, id quod illis porrigebat, esse illis manducan-
dum. Cum enim quasi in genere dixisset: hoc
quod vobis porrigo, est vobis ex præcepto man-
ducandum, id probavit: quia est corpus meum,
vt autè hæc probatio sit in prima figura, hoc est
rectissimè & naturalissimè concludens, debet
solvi in hunc syllogismum: Corpus meum est
vobis manducandum: id quod vobis porrigo
sub istis accidentibus, est corpus meum: ergo
quod vobis porrigo, est vobis manducandum.
Ecce! medius terminus est, *Corpus meum*, qui
subiecto conclusionis: ergo in minore Corpore
prædicatum: atqui minor est forma consecra-
tionis, ergo in eadem forma Corpus est prædicatum
& Hoc est subiectum.

868. Obijciunt. Illud est prædicatum propositionis, quod in eo genere ponitur, cuius generis est alter terminus propositionis: nimirum si sit generis masculini, ponitur & illud quod est capax omnium generum, in genere masculino: si enim poneretur substantivè, poneretur in genere neutro, juxta regulam Emanuclis; Atqui in forma consecrationis calicis pronomen ponitur in genere masculino, quia calix aut sanguis est generis masculini; ergo non est subiectum sed prædicatum. Nam si esset subiectum, deberet dici Hoc est calix.

R. Imprimis græca vox ΠΟΤΥΡΙΟΝ, significans calicem, est generis neutri: unde ex græco textu non potest colligi, an articulus sit positus substantivè an adjectivè: & ideo Janſenius faterur, æquè veri posse: *Hoc est calix*. sed quia vulgata editio legit: *Hic*. ideo aliter respondet Pallavicinus, etiam si pronomen se teneat ex parte subiecti, adhuc in communi locutione desumere genus à prædicato: ut si quærenti: qualis sit hæc gemma: dicam, *Hic est Adamas*. Rationem dat, quia defacto nomina substantiva sunt distributa in tres classes, in quarum vna ponuntur ea quæ sunt generis masculini, in altera, quæ feminini, in tertia quæ neutrius. Quando ergo dicimus: *Hic est Adamas, Hic est Sanguis*: pronomen *Hic* continet implicitam affirmationem, nempe, id quod tibi demonstro, est in ea classe rerum quæ ponuntur in masculino. Sed de hac lite plura grammatici.

CONTROVERSIA IV.

An plures Sacerdotes possint simul consecrare eandem materiam.

869. Certum est 1. id validè fieri posse, si forma à pluribus absolvatur in eodem instanti, secundum illum sonum ultimæ syllabæ, qui sufficienter compleat significationem sensibilem totius propositionis.

Certum est 2. aliquando id licitè fieri, ut colligitur ex novo Pontificali edito jussu Clementis VIII. vbi præcipitur, ut præbyteri ordinandi consecrent eandem materiam cum Episcopo ordinante. item quando consecratur aliquis Episcopus, debet simul cum suo ordinante consecrare, & uterque de utraque specie sumere, cum tamen Neomyſtis non nisi vna species derur. Denique mos Græcorum Romæ approbatus est, ut semper cum Episcopo consecrer præbyter, licet neutram speciem sumat. Unde Durandus & quidam alij audiendi non sunt, dum talem Ecclesiæ consuetudinem audent improbare.

Certum est 3. Neomyſtas debere habere aliquo modo intentionem consecrandi, & non merè recitativè illa verba proferendi. Dicuntur enim in Pontificali celebrare seu concelebrare, & serio monentur, ut studeant verba absolvere cum Episcopo, quæ admonitio supervacanea es-

set, si verba tantum recitativè proferrent. Neque obstat, quòd in antiquissimo Pontificali dicitur: *sicut si celebrarent*. Sensus enim est: *sicut si seriosim celebrarent*.

870. Explicandum tamen est, quâ ratione evitati possint plura inconvenientia. Nam vel Neomyſta absolvit verba simul cum Episcopo, vel prævenit, vel sequitur. Si absolvat simul cum Episcopo (quod moraliter quoad utramque speciem impossibile videtur) sequitur quòd Sacerdos consecret alteram speciem quam non sumit. Quod si in vna specie simul consecret cum Episcopo, non item in altera, sequitur Sacerdotem consecrare vnam speciem & non alteram, quod per se loquendo nunquam licet, & huic periculo semper se exponit. Si verò Neomyſta præveniat Episcopum, sequitur 1. Episcopum non consecrare illam speciem, qui tamen est principalis consecrans. Sequitur 2. quòd, si fuit præventus in consecratione calicis, sumat calicem quem non consecravit. Sequitur 3. Quòd non solum Episcopus, sed etiam ceteri Neomyſtae præventi proferant verba supra materiam jam consecratam, quod non licet. Si denique Episcopus omnes prævenit, sequitur, Neomyſtas omnes proferre verba supra materiam jam consecratam.

In hoc puncto ad facilitandam praxin, & scrupulos amolientos, Neomyſtae debent attendere 1. ut quantum possunt, conentur simul cum Episcopo absolvere. 2. ut habeant intentionem primariam proferendi verba meliori modo quo possunt & debent proferri ex voluntate Dei & Ecclesiæ, esto illis non constet, quisnam sit ille modus. Et hac ratione satis evitentur inconvenientia.

871. Ceterum quaestio speculativa restat, qualis deberet esse intentio, si quis explicitam habere vellet. Communis est opinio, requiri in Neomyſtis intentionem conditionatam, consecrandi, si cum Episcopo absolvant. Unde solus Episcopus habet intentionem absolutam, & est certus de sua consecratione. Ita Suarez, Conink, Lugo.

Adhuc tamen urgeri potest vnum ex inconvenientibus. Nempe quia fieri potest, ut Neomyſta in consecratione panis non absolverit cum Episcopo, adeoque non consecraverit: absolvat tamen cum Episcopo formam Calicis, & consequenter eum consecret: quod ceteroqui est illicitum: Non enim licet calicem consecrare sine panis consecratione, & præterea talis nihil sumeret ex eo quod consecravit.

Communi itaque sententiæ addendum putar Dicastillo (quem sequitur R. P. Antonius de Spiritu Sancto, in suo perdocto Directorio Confessoriorum, qui, dum hæc scribo ad manus venit, recentissimè editus) aliam adhuc subesse conditionem in intentione Neomyſtae, nempe quòd in consecratione calicis habeat intentionem consecrandi, si prius panem cum Episcopo consecravit.

Necdum

Necdum tamen omnis ablata difficultas est. Nam fieri posset, ut Neomytha absolveret formam consecrationis panis cum Episcopo, non item formam calicis: ergo consecrabit unam speciem sine altera. Ad hanc replicam non audet respondere P. Dicastillo, quod Neomytha possit habere in consecratione panis intentionem conditionatam, si futurum sit ut absolvat etiam cum Episcopo formam calicis, quia Sacramentorum operatio & consecratio, matrimonio excepto, non potest suspendi in futurum. Respondet itaque non esse opus aliquâ conditione tali, sed satis esse quod habeat spem & conatum absolvendi etiam formam calicis cum Episcopo. Facilius tamen responderetur, subesse conditionem de presenti, scilicet: si Deus vider me absolviturum formam calicis cum Episcopo.

Sed quid si utramque formam cum Episcopo absolveret Neomytha? adhuc sequitur inconveniens, quod non sumeret ex utraque specie quam consecravit. Ad hoc respondet Lugo, vel non esse juris divini, sed tantum Ecclesiastici, adeoque dispensabilis ab Ecclesia, quod sumatur utraque species in sacrificio ab aliquo Sacerdote, vel, si est juris divini, esse tamen satis probabile, quod secluso præcepto Ecclesiastico, sufficeret sumptio facta ab alio Sacerdote quam à Celebrante: sicut non est juris divini, nunquam fieri oblationem sine consecratione, cum hoc fiat in die Parasceves. Paulò aliter respondet Dicastillo, præceptum summendi utramque speciem, esto sit divinum, non tamen esse latum pro concelebante, sed pro celebrante principali, ut colligitur ex Ecclesiæ praxi, cujus est declarare præcepta divina.

872. Contra omnia hætenus dicta potest adhuc fortiter virgeri ab experientia manifesta, quâ sæpius contingit, ut Neomytha audiat alios jam ante se absolvisse verba consecrationis panis: ex quo sequi videtur, non licere illi amplius postea proferre verba consecrationis supra calicem, ne quidem sub conditione, si consecravit hostiam. cum enim certus sit, se non consecrâsse, sed alios ante se, ineptè ageret adjiciendo conditionem, quam scit non esse impletam: & malè etiam faceret proferendo verba supra calicem, cum expressa intentione non consecrandi: ergo vel deberet omnino silere (quod non permittitur) vel deberet velle conari consecrare: ergo vel deberet conari consecrare unam speciem tamen non consecraverit alteram, quod supponitur esse inconveniens, vel fatendum est, non esse inconveniens, id quod communiter inconveniens reputatur, nempe se consecrare unam speciem, etiam si non consecraverit alteram.

Ob hanc difficultatem, quod dicere non eram ausus, video nunc docuisse P. Esparza, qui negat, hoc vllum inconveniens esse, & sic declarat. Dicendum, inquit, intentionem debere esse absolutam, & sine vlla speciali restrictione, non contenta intrinsecè in ipsa causâ rei, sicut concipitur per se ab vnoquoque solitariè celebrante,

& nihilominus nullum sequi inconveniens a similitate plurium consecrationum eadem materia actu ab Ecclesia præscripto, quæ omnes moraliter consecrant valide. Licet potest ille vel illi valide consecrari qui primi absolventis verba physicè. Ratio valoris moralis in omni consecratione, tamen physicè aliquorum consecratio sit posterior quàm aliorum, hæc est, quæ nimirum quicumque audit formam consecrationis pronuntiatam ab vnoquoque ex ita celebrantibus, perinde redditur certus ex vi talis conditionis præsentia reali Christi sub illis accidentibus, & consequenter perinde moveatur ad adorandum Christum, & ad omnem sensum pietatis consequentem ex Sacramento, atque si ille solus pronuntiet verba consecrationis, & propterea ob nullam ita consecrationibus determinatè sumptam consecrationem potius quàm ob consecrationem audientis alterius ex iisdem, potest ad idem movetur, eandemque certitudinem habere, quæ quæque juxta præscriptum Ecclesiæ, omnes consecrari debent, quantum fieri potest, ut simul absolventibus, ideòque, ne detur sensibilibus & manifestis beneficiis vnius post alium. Negatur itaque vllum esse inconveniens, quod vnius vel aliquorum consecrationem, & non aliorum consecratio sit valide physicè, vnius physicè consecraret panem, alius consecraret, qui non consecravit physicè, sed e converso, qui physicè consecravit, non tamen nec offerat: nullum, inquam, est inconveniens, nullumque irreverentiæ genus, quia in rebus moralibus non habetur ratio diversitatis physice constitutæ diversitate morali: atque in præsentibus reddit certum vsus & auctoritas Ecclesiæ, videtur hujusmodi simultaneam plurium consecrationem, & scientis illà admissâ esse inevitabilem vniuersaliter discrepantiam physice prioritatis, & posterioritatis inter consecrationes, cum intentionibus vter prius consecraverit physicè. Hæc P. Esparza.

873. Quæ verò obijci aut vitiosa videri possent, dissolventur facillè, si animo advertatur, quod ex Neomythis nullus totam formam consecrationis proferat secundum omnia & singula verba, postquam jam alius absolvit, uti v. g. Petrus incipiat dicere: Hoc, postquam jam alius totam formam absolvit. hoc sane esset inconveniens maximum, nec talis ageret ex mente Ecclesiæ: sed vniusejusque verba ita intermisceret cum verbis aliorum, ut nullus sit, cujus alios verba non fuerint in actu primo apta, & alios in differentia ad hoc, ut ipse proferens physicè consecraret, eò quod nullius verba præsupponeret hostiam jam ab alio consecratam. hoc patet, cum supra dixerimus verba tantum moraliter fluere in effectum sacramentalem, jam facile capitur, quomodo nullius Neomythe verba suspensio sit otiosa, sed etiam secundum materiam partem æqualiter cum alijs moveant Deum, & ponendum Corpus Christi sub speciebus, & alios etiam Petrus audisset formam jam à Paulo absolutam esse, antequam ille absolvisset, tamen

tamen absolvere formam, quia hoc est necesse, ut verba prius cum alijs prolata habeant sensum integrum & absolutum: & hæc in confirmationem dicta sint.

CONTROVERSIA V.

An Verba Consecrationis dicantur Enuntiative, vel Recitative.

874. **P**ropositio duplici intentione proferri potest. 1. Enuntiative, seu, quod idem est, Significative ac formaliter. 2. Recitative seu materialiter. Priori modo proferitur, quando intendimus affirmare id quod propositio significat. Posteriori modo, quando intendimus narrare historicè, quod alius per illam propositionem affirmavit: sive deinde nos idiplum affirmemus, sive non: v. g. si Sacerdos legat Epistolam in Missa Festi Corporis Christi, ubi recensetur historia institutionis Eucharistica.

Quæritur ergo in præsentia, an Sacerdos, quando consecrare intendit, proferat verba Christi recitative tantum, an enuntiative tantum, an utroque modo.

Cavendum autem est, ne quæstio hæc confundatur cum alia quæ cum hæreticis est, an verba proferantur Concionatoriè, an Consecratoriè: omnes enim Catholici fatentur proferri Consecratoriè: sed dubitatur à Catholicis, an Sacerdos intendens primariò consecrare, hoc ipso saltè implicitè velit illa verba proferre affirmativè, vel, an sufficiat, ea velle tantum proferre recitative, seu narrativè, adeo ut si primariò vellet tantum sic proferre, & nullo modo affirmativè, an inquam adhuc conficeret Sacramentum, necne.

Prima sententia docet, proferri tantum recitative. Ità Innocentius III. lib. 4. de Mystèrijs Missæ, Catherinus, Major, Mirandulanus, & noster P. Salmeron fusissimè, & teste Lugo doctissimè, to. 4. in Evang. tr. 13. eamque plures alij, quos sequitur Dicastillo, valde probabilem putant, ut proinde neminem movere debeat censura Vasquezij d. 200. n. 14. & Præpositi, eam opinionem erroneam vocantium.

Secunda sententia est, illa Christi verba tantum enuntiative proferri. Ità S. Bonaventura, Gabriel, Marsilius, Vasquez, & eam aliquando tenuerat Lugo.

Tertia est, proferri utroque modo: recitative quidem proprio Sacerdotis nomine, & ut sic non esse consecratoria, nec proinde necessarium esse ut recitative proferantur: enuntiative verò proferri in Persona Christi, & sic esse consecratoria, atque esse de essentia sic proferri. Ità Sotus, Suarez, Bellarminus, Valentia, Bonac. Conink, Tanner, Nugnus, Præpos. Hurt. Lugo, Dicastillo, Arriaga.

875. **DICO** 1. De essentia consecrationis est, ut verba proferantur enuntiative, sive Sa-

cerdos hoc explicitè, sive tantum implicitè intendat, quod sufficit. Ità S. Thomas a. 5.

Conclusionem probat Vasquez & Hurtadus 1. Quia Sacerdos mediâ significatione verborum consecrat & convertit panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi. Nam Tridentinum sess. 13. c. 4. ait, Ecclesiam ex eo collegisse conversionem Eucharisticam fieri, quia Christus verè dixit, Corpus suum esse, quod offerrebat: & non solum collegit tunc, quando Christus ipse in propria persona proferebat, factam fuisse conversionem à Christo, sed etiam nunc fieri à Sacerdote, quia nomine, & in Persona Christi verè dicit idem, quod Christus verè dixit. Ad hoc tamen responderet Lugo. Ecclesiam collegisse præsentiam Christi ex veritate verborum quæ dixit ipse Christus, consequenter autem colligere præsentiam Christi in nostra Eucharistia, quia Christus dedit Apostolis & Sacerdotibus potestatem conficiendi idem Sacramentum, recitatione eorundem verborum, cum intentione faciendi quod Christus fecit.

Probant iidem 2. Quia alioquin non fieret medijs verbis illa consecratio & conversio; nam vna substantia integra nequit pugnare cum alia, nisi ratione significationis verborum. Hæc probatio adhuc infirmior est. est enim, ut supra vidimus, repugnantia physica inter illas duas substantias quoad officium substandi accidentibus.

Probat 3. Conclusio meliùs 1. ex Florentino & Patribus, asserentibus, illa verba proferri in persona Christi, ità ut Christus censeatur per os Sacerdotis ea proferre: atqui si ea tantum recitative proferret, non proferret ea in persona Christi, sed proprio nomine: ergo &c.

Dices. Imò adhuc proferret nomine Christi, quia proferret ex intentione faciendi Sacramentum, quæ intentio denominat actionem fieri nomine Christi.

Sed contra. Dupliciter possum uti pronomine *Ego*, & *Meum*, proferendo ea nomine alterius. primo modo ità, ut per illud pronomen verè significem meipsum, licet id quod affirmando efficio, efficiam potestate alienâ, & sic nomine alterius. sic quando Minister baptizans dicit: *Ego te baptizo*: non est sensus: *Ego Christus te baptizo*: sed: *ego Petrus, Joannes &c.* qui tamen baptizat nomine Christi. Alio modo possum uti tali modo loquendi, ità ut illud pronomen reverè significet & appellet ipsum principalem, cujus personam speciali modo represento, ità ut verba quæ profero cum pronomine, non verificentur villo modo de mea persona, sed de principali: sic Angelus representans personam Dei, dixit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac.*

Itaque Concilium Florentinum & SS. Patres in secundo sensu dixerunt proferri verba Christi in Persona Christi, nempe ad defendendam veritatem illorum verborum, quæ vera non essent, si tò *Meum* appellaret personam Ministri.

Confirmatur. Si tantum recitative proferrentur verba, sequeretur quòd sufficeret, si Sacerdos

M m m

dos

dos diceret: [Accepit panem, benedixit, fregit &c. dicens esse corpus suum.] hoc enim esset recitativè omnia dixisse.

Hoc ipsum discrimen inter formam hujus & aliorum Sacramentorum expressit *S. Thomas q. 78. a. 1. in Corp.* dicens: [Formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona Ministri, sive per modum exercentis actum, sicut cùm dicitur: *Ego te baptizo*: sed forma hujus Sacramenti proferitur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quòd Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quòd profert verba Christi.]

Probatur Conclusio 2. Si verba tantùm recitativè proferrentur, sequeretur, non fieri consecrationem, si quis sine illis præcedentibus verbis cum intentione consecrandi, proferret præcisè hæc verba: *Hoc est Corpus meum*. consequens, inquit Lugo, licet aliqui concedant, est tamen durissimum: sequeretur enim etiam priora verba esse partem formæ, scilicet illa, *Qui pridie quàm pateretur*. quia sine his non est integra narratio: consequens videtur esse contra Florent. dicens, formam esse verba Salvatoris, illa verò sunt verba Evangelista.

Probari potest 3. ad hominem. Adversarij fatentur, ex pronomine *Hoc*, colligi, quòd materia debeat esse præsens: atqui si tantùm recitativè dicerentur, non posset inde colligi necessitas præsentia: non enim affirmat Sacerdos, Christum super hæc accidentia dixisse: *Hoc est &c.* sed super illa quæ in cæna gerebat in manibus: unde tota narratio esset vera, etiam si nullam haberet præsentem materiam.

Probatur 4. Verba Sacramentorum significant id quod efficiunt: atqui verba, quibus conficitur Eucharistia, efficiunt præsentiam Corporis Christi sub speciebus: ergo debent illam significare: sed non significarent illam, si tantùm recitativè proferrentur: non enim significarent præsentiam Christi sub speciebus quas Sacerdos in manibus tenet, sed tantùm sub illis quas Christus tenuit in cæna: ergo debent proferri significativè.

Probatur 5. In consecratione ponuntur aliqua vi verborum, & aliqua per concomitantiam: sed hoc esset falsum, si verba tantùm proferrentur recitativè: ergo. Minor probatur. Quæro enim, an sub speciebus panis quem nunc consecrat Franciscus, ponatur Corpus Christi ex vi verborum prolatorum à Christo in vltima cæna, an vi prolatorum nunc à Francisco? si dicas primum: contra est 1. quia illud non ponitur vi verborum, quod non est necessarium ad verificanda verba: sed præsentia Corporis Christi sub his modernis speciebus, non est necessaria ad veritatem verborum in vltima cæna prolatorum, non enim affirmavit Christus, sub his speciebus esse corpus suum. Contra 2. quia in cæna positus est vi verborum etiam ille sanguis, qui nunc non est amplius in Corpore Christi, sed remansit in sudario, spi-

nis &c. nunc autem non ponitur: debent etiam nunc poni, si attendenda essent verba prolata in vltima cæna. Si verò dicas secundum, habemus intentum, scil. verba ponuntur significativè, alioqui nihil poneretur vi verborum, quia nullam habent significationem nisi ordine ad præsentem hostiam.

876. DICO 2. Verba consecrationis etiam recitativè seu historicè proferuntur. Colligitur ex toto contextu Canonis, à verbo illi: *Qui pridie quàm pateretur &c.* quicunque enim audit totam illam narrationem, venit in cognitionem, quòd Christus hæc verba proferret in cæna, & si Sacerdos alia supponeret, diceret historiam malè narrasse: ergo dicit ea recitativè. Contra primam Conclusionem

Obijciunt 1. Si Sacerdos hæc verba proferret significativè, verba essent falsa, diceret enim illud esse suum corpus. 2. Non proferret in sua persona, ita vt tò *Meum* appelleret Sacerdos, vt gerentem personam Ministri Christi, sed præsentantem personam principalem; sicut enim Dicastria & Consilia Principum solent volumina scribendi, quasi scriberet ipse Princeps, repræsentant immediatè & directè, & non mediatè & indirectè, sicut quando Minister dicit: *Ego baptizo*.

Obijciunt 2. Græci addunt in consecratione panis hæc verba: *Qui pro vobis traditus*. In Ecclesia latina adduntur: in consecratione Cæni. *Qui pro vobis effundetur*. sed hæc non possunt nunc enuntiativè dici, quia non essent vera. In sententia communi, quòd illa verba non sint pars substantialis formæ, dicendum est, quòd solum recitativè proferantur, in sententia contraria verò dicendum, ea proferri à Sacerdote vt repræsentante tempus Cæni, vt sententia *Consequens* duratio est posterior duratione Cæni.

Contra 2. Conclusionem obijciunt 1. Verba æquivoca non possunt simul & semel in consecratione habere duplicem sensum æquivocum, v. g. si mihi duo confelli essent, non possem eos absolvi vna absolutione per verba, *absolvo te*; dirigendo illud *te* ad utrumque, respectu quorum est æquivocum. & ratio est, quia nomen æquivocum significat diversa vt directa, secundum diversitatem, & ideo debet ad unum determinari per intentionem loquentis: atque si verba consecrationis proferrentur recitativè simul & enuntiativè, tunc illud *Hoc*, esset æquivocum; nam vt recitativè prolaturum significaret accidentia quæ Christus habuit in cæna in manibus, prolaturum verò enuntiativè significaret accidentia posita in manibus Sacerdotis: ergo non possunt simul utroque modo proferri. 2. Illud major. Si loquens non nisi vnam personam repræsentet, concedo, si duplicem personam repræsentet, nego major. & eodem modo distincta materia negatur Conseq.

Confirmatur responsio exemplis, quædam Christus dixit Matth. 17. ad Scribas & Phariseos.

Bene prophetauit de vobis Isaias dicens : Populus hic labijs me honorat , cor autem eorum longè est à me. protulit ea imprimis recitativè , vt pater: deinde etiam enuntiativè , dum de præsentì populo suo nomine affirmavit , quod Deus per os prophetæ de populo tunc existente pronuntiavit. non enim loquebatur Isaias de Scribis & Pharisæis , sed de toto populo Judaico tunc existente : & vt notat Maldonatus , sunt verba accusantis. Eodem modo potest Religiosus dicere mendico petenti Eleemosynam : *quod olim Petrus dixit , & ego dico : argentum & aurum non est mihi.*

Card. de Lugo hic tum n. 48. tum præcipuè n. 120. movet quæstionem novam ; an illa verba *accipite & manducate ex hoc omnes* : tametsi non caussent ne quidem partialiter præsentiam Christi , nec sint pars formæ , nihilominus proferantur non merè recitativè , sed potiùs ita , vt iam tunc Sacerdos loquatur in persona Christi , non minùs quàm per illa : *Hoc est &c.* & resolvit affirmativè.

877. DICO tamen 3. Illa verba tantùm recitativè proferri. Probatur. Si illa verba proferrentur in Persona Christi , deberent ad aliquos audientes dirigi , sunt enim verba præceptiva sumpcionis , vt docet ipse Lugo : sed non possunt assignari ad quos dirigantur : non quidem ad illos qui intersunt Missæ , non enim præcipitur illis sumpcio ex illa hostia , sed Sacerdos habet animum alijs inde aliquid tribuendi : & quid nemo Missæ intersit ? Sed neque diriguntur ad Apostolos , repræsentando tempus Cænæ ; tum quia Sacerdos non accipit potestatem præcipiendi Apostolis , nec Christus Apostolis præcipit nunc per Sacerdotem , vt sumant ex illo quod in Cæna dederat , multò minùs ex eo quod modo Sacerdos habet in manibus : tum quia sic evaderet inepta propositio causalis : esset enim sensus : accipite & manducate ex hoc (quod ego in Cæna teneo) omnes , quia hoc , (quod nunc Sacerdos habet in manibus) est corpus meum.

Objicit Lugo 1. aliquas auctoritates Patrum. Verùm , vt legenti patet , illa testimonia probarent (si quid probarent) illa verba esse etiam consecratoria. Solùm itaque asseruerunt , illa esse verba à Christo prolata , nec esse verba Evangelista.

Objicit 2. Si illa verba non proferuntur in Persona Christi , tunc falsa erit causalis , quæ exprimitur per part. *Enim*. 2. hanc particulam , non proferri enuntiativè , sed tantùm recitativè , vt disertè docet Suarez *disp. 59. s. 1. §. Dico 3.* vbi etiam pro comperto supponit , illa verba : *Accipite & manducate.* tantùm dici recitativè & materialiter. idem tradit Dicastillo & Arriaga. Obiter etiam adverto , part. *Enim* : nec ab Evangelistis nec à S. Paulo positam esse , poni tamen in Canone Missæ probabiliter ex Apostolica traditione , quod à Christo fuerit prolata , vt habet S. Thomas 2. 2. ad. 5.

878. Est denique hic controversia , an formæ calicis constitutiva sint hæc verba : *Novi & æterni Testamenti , Mysterium fidei , qui pro vobis &*

pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Affirmat S. Thomas a. 3. alij communiùs nunc negant.

Probatur 1. Incredible proflus est , nullum Evangelistarum , imò nec S. Paulum , cum de hoc Mysterio vellet ex proposito instruere Corinthios , retulisse integram essentialiam formam huius consecrationis , sed mancã , cum tamen diligenter addiderint præceptum Christi , faciendi hoc in ejus commemorationem : atqui nullus illorum retulit totam illam formam , quæ vitur Ecclesia latina , & quod bene notandum est , non solum nullus retulit omnia illa verba , sed aliqua etiam verba : *æterni* : & : *mysterium fidei* : omnes omiserunt. ergo non sunt omnia essentialia.

Probatur 2. ex Liturgiis Apostolorum , tum Evangelistarum Joannis & Marci , in quibus forma ponitur his præcise verbis : *Hic est sanguis meus.* vel : *Sanguis meus est hic.* Præterea nec in Liturgia S. Jacobi Apostoli , nec S. Basilij , nec S. Chrysostomi , nec Æthiopum , quæ creditur composita ab Apostolo Matthæo , nec S. Leandri vel Isidori , præscribitur forma Ecclesia latina , sed aliqua illius verba omittuntur : atqui temerarium esset dicere , ab his omnibus nunquam consecrari calicem , præsertim cum Romæ illæ Liturgiæ Græcorum à Græcis observentur , sciente Pontifice.

Accedit auctoritas PP. Concilij Florentini , qui non ignorabant , Græcos aliã formã vti , neque tamen in hoc reprehenderunt , sed potiùs supposuerunt , eos rectè consecrare. Vnde Suarez , cateroquin S. Thomæ observantissimus , in fine sect. 1. sic concludit. [Quocirca non existimo injuriam fieri D. Thomæ , si propter multarum Ecclesiarum & Liturgiarum auctoritatem ab ejus opinione discedamus , quam sine dubio ipse mutasset , si vel prædictas Liturgias , vel aliarum Ecclesiarum vsum agnovisset. quodd enim non agnovit , signum est , quodd nullam earum mentionem faciat in toto articulo.]

Dices. S. Thomam non dixisse , ea omnia esse de essentia , sed : *de substantia* : hoc est , vt explicant quidam Thomista , sine quibus quidem posset ex intentione Ministri fieri consecratio , sed tamen si Minister velit illis omnibus vti , tunc effectum suspendi vsque ad earum absolutionem. Verùm hæc interpretatio est contraria S. Thomæ , vt ex Thomistis fatetur Philippus à SSS. Trinitar. nam S. Thomas pro eodem sumit : verba *esse essentialia* , & *esse substantialia*. Nam q. 60. a. 8. de forma Sacramenti in communi sic docet : [Si diminuat aliquid eorum , quæ sunt de substantia NB. formæ Sacramentalis , tollitur debitus sensus verborum , & ideo non perficitur Sacramentum.] Deinde in hoc ipso articulo de forma Calicis , tum in C. tum in arg. 2. & ejus responsione planè declarat , priora verba sine posterioribus non habere efficaciam.

Probatur Conclusio 3. Auctoritate SS. PP. Ambrosij , Cypriani , Iustini , Chrysostomi , Damasceni , quorum verba clarissima legi possunt apud Suarez : & nimis violenta est interpretatio
M m m m 2 Philippi

Philippi à SS. Trin. quòd non fuerint scholasticè locuti, sed reliqua verba subintellexerint.

Probatur 4. à pari. Sicut in consecratione Calicis Christus dixit: *qui pro vobis effundetur*, ità in consecratione panis dixit: *Qui pro vobis tradetur*. sed hæc verba non sunt de necessitate, vt fatentur adversarij: ergo ex eo quòd Christus priora protulerit, non sequitur ea esse de necessitate in consecratione Calicis.

Probatur 5. Verba consecrationis hæc: *Hic est calix sanguinis mei*: habent sufficientem significationem præsentia sanguinis: atqui efficiunt id quòd significant: ergo jam vi eorum ponitur præsentia sanguinis. Respondet citatus Thomista, in formis Sacramentorum potiùs attendendam esse institutionem & traditionem quàm rationem: fuisse autem omnia illa verba instituta probat ex eo, quia Christus illa omnia protulit. Verùm hæc responsio adversatur huic ipsi auctori, qui contra S. Thomam docet, tria verba, nempe *eterni*, &: *mysterium fidei*, explicitè & formaliter prolata non pertinere ad essentiam formæ: & tamen Christus illa etiam protulit. Nec juvat hunc auctorem, quòd dicat, ea contineri in prioribus virtualiter: nam hac ratione nos quoque dicemus, omnia verba à Christo explicitè prolata contineri virtualiter in quatuor illis: *Hic est sanguis meus*.

879. Dices. In formâ baptismi non confertur effectus per hæc sola verba: *Ego te baptizo*: licet habeant sufficientem significationem: ergo idem de forma Calicis dici potest. R. Negando paritatem. Nam verba illa: *Ego te baptizo*, spectata secundùm significationem humanam, hoc est, quam habent ab impositione hominum antecederent ad significationem sacramentalem, non significant nisi ablationem materialem; & sic est propositio vera, etiamsi sequentia verba non addantur, nec alius effectus sacramentalis producat: ergo cum illa verba gratiam non caussent nisi virtute significationis sacramentalis, & hanc non habeant, nisi quatenus continent professionem explicitam Trinitatis, cum Baptismus sit Sacramentum fidei, mirum non est, quòd effectus sacramentalis sit etiam posterioribus verbis alligatus: at verò in verbis calicis illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*: etiam spectatâ significatione quam habent ex impositione hominum, significant præsentiam sanguinis, & quidem physicam: ergo non est cur non sint vera, quando sunt prolata, sive cætera addantur sive non, quamdiu non probatur Christum aliter instituisse.

Replicabis, illa verba non habere sensum adhuc perfectum, sed significationem prædicatam determinatam per verba sequentia. Contra 1. ergo idem dicendum adversarijs esset de forma con-

secrationis panis, quòd prædicatum determinatum per sequentia verba: *Quod pro vobis traditur*. Sed dicitur disparitatem. Contra 2. Quia saltem prædicatum *Sanguis* determinat per verba sequentia, alioquin solus ille sanguis, qui admodum effusus est, poneretur vi verborum, & non ille qui in corpore remansit, si quis remansit. Contra 3. quia sequentia verba non determinant, sed tantum explicat plura prædicata sanguinis, ne qua tamen explicatio adhuc satis explicitè significatur prædicatum & præsentia sanguinis, sicuti hoc ipsum adversarij fatentur de verbo *eterni* & *mysterium fidei*, quæ fatentur non esse substantia formæ.

880. Obijciunt. 1. Totâ illa forma ponitur in Canone, assignatur in Florentino & Colonienfî Concilio: in cap. *cum Maris*, & Catechismo Romano iussu Pij V. qui insuper idem expungi ex Commentarijs Cajetani contrariam opinionem, quam ipse Cajetanus tenuerat. R. 1. in Florentino non haberi omnia illa verba in editione vulgata, sed solum dictum esse verba quibus Christus hoc Sacramentum confecit. In Catechismo Romano non dicitur, illa omnia esse formam, sed in illis verbis comprehenditur formam, quòd verissimum est, non minus quàm verissimum est, formam comprehenditur in Epistola ad Corinthios. In cap. *cum Maris*, non dicitur, omnia illa verba esse formam, sed Innocentio III. respondetur Episcopo interroganti, cur addantur verba, quæ non sunt in Evangelio? respondetur, inquam, illa verba habentur in traditione Apostolorum, & omnia esse mysteria plena: hoc totum fateamur omnes, sicut de verbis *quod pro vobis traditur*: &: *eterni*: &: *mysterium fidei*. quæ non propterea sunt substantialia, etiamsi dicerentur illa verba esse formam, nulli tamen dicitur, omnia esse necessaria & essentialia: sicut solemus dicere, nos recitasse salutacionem angelicam, etiamsi in illa oratione aliqua sint, quæ non sunt pars salutacionis Angelicæ. Quoad id quòd additur de correctione Cajetani, respondent nostri DD. id factum esse à Pio V. & ipso Thomista, ne ex Cajetano alij Thomista exemplum acciperent, ad libitum à S. Thoma recedendi.

Obijciunt 2. Omnia illa verba eodem modo proferuntur à Sacerdote, & eodem characterem iussu ponuntur in Missali. R. Etiam particula *enim*, &: *eterni*. & *mysterium fidei*. ita ponuntur, & eodem ritu proferuntur. hoc autem adeo fit, quia cum pertineant ad eandem orationem, & ablationem, inconueniens esset interrumpi, nec interrumpuntur verba absolutionis, & tamen invocatio Trinitatis non est de essentia.



CAPVT IX.
DE EFFECTIBUS EVCHARISTIAE.
CONTROVERSA I.

An Eucharistia aliquando per accidens conferat primam Gratiam ex opere operato.

881. **C**ertum est, per se loquendo, & spectatâ Eucharistia primariâ institutione, non causare ex opere operato primam gratiam, hoc est, non justificare peccatorem prout facit baptismus, & Penitentia. Nam vt ex S. Paulo constat, accedens debet se prius probare, & procurare statum gratia, & qui accederet, licet attritus, cum peccato mortali cognito, peccaret mortaliter, vt asserit Trid. *sess. 13. c. 2. & 4.* Ratio desumitur ex eius significatione, quæ est per modum cibi spiritualis, & nutritio, non ad vitam conferendam, cum eam supponat.

Restat ergo quæstio merè speculativa, an is qui accedit ad Eucharistiam, putans invincibiliter se esse in statu gratiæ, & præterea fuit attritus de omnibus suis occultis peccatis, vel de cognitis quidem, sed putat se esse contritum, & non habet copiam confessarij; item qui confessus est alicui quem putabat esse Sacerdotem & non erat &c. an, inquam, talis virtute Sacramenti Eucharistiae justificetur ex opere operato, accipiens gratiam sanctificantem.

Prima sententia affirmat. Ita Richardus, Paludanus, Antoninus, Sotus, Suarez, Valent. Conink, Tanner, Becanus, Præpos. Arriaga, Philippus à SS. Trinit. Altera negat. Alexander, Bonav. Gerson, Gabriel, Major, Vasquez, Gaspar Hurtadus, Lugo, Dicastillo, Esparza, quam etiam amplexi sunt qui consecrunt Catechismum Rom. cum quibus

882. **DICO**, probabilius esse, primam gratiam nunquam conferri ab Eucharistia. Videtur mihi omnino esse S. Thomæ *q. 79. a. 3.* non obstante quòd Adversarij indubitate pro se citent. Verba quæ ejus mentem dubiam reddunt, sunt hæc. [Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter, vno modo non perceptum actu sed voto &c. alio modo perceptum actu ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè & reverenter accedens consequetur per hoc Sa-

cramentum gratiam charitatis quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.] Quibus verbis non dicit D. Thomas, primam gratiam immediatè conferri ex opere operato ab Eucharistia, sed potius contrarium, scilicet, quòd (non quidem infallibiliter, sed ex misericordia Dei) quandoque intuitu Eucharistia devotè susceptæ detur auxilium actuale, excitans illum hominem ad veram contritionem, & hac mediante conferri gratiam ex opere operantis.

Probatur Conclusio 1. Nullus effectus tribuendus est Sacramenti, nisi constet vel ex Scriptura, vel ex traditione, vel Patribus aut Concilijs: sed ex nullo capite constat Eucharistiam causare effectum de quo disputamus: ergo &c. Major patet: nam quæ merè pendent ex arbitrio instituentis, non debent solâ ratiocinatione probari, sed colligi debent ex dictis capitibus. Minor probatur solutione objectionum, & ex adversarijs Suarez fatetur, non nisi per congruentiam posse probari suam sententiam.

Probatur 2. ex Patribus, qui non erant contenti solo putativo statu gratiæ ad consequendum fructum hujus Sacramenti. S. Ambrosius lib. 6. in Lucam c. 9. [nemo, inquit, cibum accipit Christi, nisi qui fuerit antè sanatus, & illi qui vocantur ad cænam, prius vocatione sanantur.] Et infrâ. [Vbiq; ergo Mysterij ordo servatur, vt prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur.] Anselmus in verba S. Pauli. *Probet autem &c.* ait, debere peccatum prius per pœnitentiam deleri. Quibus testimonijs non satisfacit dicendo cum Philippo à SS. Trinit. quòd loquantur PP. de eo quod fit per se: alioquin pari jure dicere posset aliquis, etiam per accidens posse justificare attritionem, si quis putet se esse contritum, & omnia testimonia, quibus contrarium probari solet, eludet dicendo, ea loqui de eo quod fit per se.

Probatur 3. Illos solùm effectus causant Sacramenta, quos significant; sed Eucharistia non significat nisi gratiam nutritivam & augmentativam, vtpote significans per modum cibi, neque alium effectum ex significatione hujus Sacramenti

M m m 3

agnovit

agnovit Florentinum dum ait, Eucharistiam causare omnes effectus vite spiritualis, quos causatibus naturalis.

Probatur 4. Si in casibus adversariorum Eucharistia causaret primam gratiam, tunc eam non causaret per accidens, vt ipsi volunt, sed per se: nam esto causaret eam ex secundaria intentione Christi, hoc tamen non sufficit vt dicatur causare per accidens: ea enim sola dicuntur causari per accidens propriè loquendo, quæ omnino præter intentionem operantis causantur, nempe quando principalis operans intendit, quantum in se est, certum aliquem effectum, sed aliunde fit, vt producatur effectus nullo modo intentus, v. g. quando animal generans intendit generare sibi simile in specie, sed ex concursu alterius causæ impertinentis fit vt generetur monstrum: atqui Eucharistia non habet vllam virtutem nisi ex meritis & institutione Christi, nec ex eo quòd habeat virtutem augendi gratiam, & hanc intendat, hoc ipso quasi concomitanter habet virtutem conferendi primam gratiam ex concursu alterius causæ, sed hanc virtutem deberet habere ex voluntate instituentis: ergo causaret primam gratiam per se & non per accidens.

883. Obijciunt 1. Testimonia quorundam Patrum, quorum verba refert & explicat Vasquez: loquuntur enim vel de peccatis venialibus, vel de præsertione à mortalibus, vel de extinctione penæ, vel de reliquijs mortalium quoad prava affectus, vel de Eucharistia vt est sacrificium impetratorium auxiliorum congruorum ad justificationem, vel denique in sensu S. Thomæ supra explicato.

Obijciunt 2. Tridentinum *s. 13. can. 5.* vbi ait: [Si quis dixerit, vel præcipuum fructum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus provenire, anathema sit.] Vbi, inquit Conink, videtur supponere, per hoc Sacramentum quandoque etiam remitti mortalia. *re.* Concilium agere ibi contra hæreticos dicentes, remissionem peccatorum esse præcipuum imò vnicum ejus effectum: hoc ergo negat Tridentinum, præscindendo an secundarius illius effectus possit esse justificatio. Deinde, vt fatetur ipse Conink, potest Concilium intelligi de remissione venialium, quamvis nec hoc definiat. Denique advertit P. Esparza, hinc potius confirmari nostram sententiam; negat enim Concilium univèrsim remissionem peccati esse Eucharistia præcipuum effectum, atqui in casu quo adversarij volunt hunc effectum conferri, esset planè præcipuus ejus effectus.

Obijciunt 3. Baptismus & Pœnitentia sunt per se instituta ad dandam primam gratiam, & tamen si inveniant subjectum jam justificatum, conferunt augmentum gratiæ: ergo etiam contra Sacramentum per se institutum ad conferendum augmentum, potest conferre primam gratiam. *re.* Negando paritatem. Nam imprimis illa Sacramenta non causant in tali casu augmentum

Gratiæ per accidens, sed per se, & ex mente instituentis: Nam Baptismus est institutus vt aliquem constituat membrum Christi, live prius sit peccator five non, & conferat gratiam que sit radix meliorum specialium ad exercendas operationes bonis Christiani. Pœnitentia verò est instituta ad reconciliandum Deum offensum, quod fieri potest etiam si jam sit reconciliatus, quia potest magis reconciliari: 2. Non valet consequentia, quia plus est conferre primam gratiam quam augmentum, vt in tr. de Gratia dictum est. 3. Quæ in Baptismo & Pœnitentia, Gratia non est obiectum, sicut respectu Eucharistia peccatum & negatio Gratia est obiectum.

Obijciunt 4. Extrema Unctio licet per se sit instituta ad tollendas reliquias peccati non commissi, nihilominus potest ex probabili sententia vna cum attritione delere etiam peccatum, & conferre primam gratiam, quo casu dicitur etiam fieri contritum: ergo multo magis potest Eucharistia. *re.* Cum Card. de Lugo, libro 1. esse probabile de extrema Unctione, quia probabiliter est instituta ad tollendum quod reliquum est peccati seu culpæ seu penæ juxta dispositionem subjecti, & si quidem hoc facit, non per accidens sed per se id facit.

Obijciunt 5. Qui bonâ fide accedit, potest se esse justum, jam satisfacit præcepto quod culcat S. Paulus. *Probet autem scriptura hanc.* nec enim tenetur se amplius probare: ergo nullum amplius habet obiectum: ergo consequenter effectum Sacramenti. *re.* Negando vtramque consequentiam, quemadmodum ipsi adversarij non negare debent in casu quo quis ne quidem attritionem habuisset de peccato invincibiliter ignorato. Itaque illa bona fides excusat quidem à peccato in sumenda Eucharistia, sed non propterea est argumentum remoti obiecti; nec S. Paulus vnquam dixit, eum qui se sufficienter probavit, hoc ipso consecuturum effectum, sed solum, quia non manducaturum sibi mortem, quia communitatem non erit peccaminosa.

CONTROVERSIA II.

An ambæ species majorem Gratiam conferant, quam vna sola.

884. **N**egativa est communis Thomistarum, quam ex nostris sequuntur Becanus, Gundez, Suarez, Conink, Canisius, Bellarmus, Valentia, Henriq. Andreas Mendo. Affirmativam tenuerunt etiam plures tam antiqui quam Recentiores: quos refert & sequitur Vasquez, Gasparus Hurtadus, Præpositus, Lugo, Dicastillo, Castro Palao, Philippus à SS. Trinit. & apud nostrum Recentiores Thomista. Vtraque sententia est probabilis intrinsecè & extrinsecè, vt inter eas est probabilis intrinsecè & extrinsecè, vt inter eas est difficilis sit electio. In affirmativam magis propendo. Pro qua affertur à Lugo & Dicastillo auctoritas Patrum Concilij Tridentini. *re.*

anima Franciscus Blanco Archiepiscopus Compostellanus qui Concilio interfuit, testatus fuisse, hanc fuisse vnanimem omnium Patrum Concilij mentem, sed noluisse ante tempus definire, ne hæreticis præberetur anfa vociferandi. Hæc auctoritas esset proculdubio magni momenti, si satis authenticè probaretur, quod tamen citati auctores non præstiterunt. Afferunt quidem P. Henriquez lib. 8. de Euchar. c. 44. §. 5. in Margine: sed, vel habuerunt aliud exemplar quàm sit meum, vel obiter hunc auctorem inspexerunt: dicunt enim, quòd Henriquez tacito nomine meminere Francisci Blanco, cum tamen conceptissimis verbis illum nominet, nec tamen dicat, fuisse vnanimem Patrum sensum, sed solum, quòd multi ita fenserint, vnde ipse Henriquez sequitur contrariam sententiam.

885. Probari solet affirmativa opinio 1. ex Tridentino, quod cum ageret de Communione Laicorum sub vna specie, dixit: eos nullà gratià ad salutem necessarià defraudari: ubi ponderatur vox: *Necessaria*: non enim dixit simpliciter: *nullà gratià fraudari*, prout dicere debuisset, si fensisset, non conferri majorem gratiam, sed addidit: *necessarià*, quo vocabulo videtur tacitè supponere, privari quidem aliquà gratià, sed non necessarià ad salutem.

Respondet P. Arriaga, hoc vocabulum adeo non obesse contrariè & negativè sententiæ, vt potius inde confirmetur. Nam Concilium non potuit per Gratiam *necessariam* intelligere gratiam simpliciter necessariam, talis enim est sola prima gratia, quam Eucharistia non conferit: ergo per Gratiam necessariam intellexit quemcunque gradum, qui ex se potest esse primus. Verum hæc interpretatio non subsistit: si enim Concilium hoc dicere voluisset, debuisset vocem, *Necessaria*, penitus omittere, quia nihil significaret, sed tantum ad decipiendum inservire. Voluit autem Concilium per vocem, *Necessaria*, significare Gratiam Eucharisticam, prout est radix auxiliorum non quidem physicè, sed moraliter necessariorum ad perseverandum in gratia, vt explicatum est supersrà de Necessitate Eucharistia.

Meliùs alij respondent, Concilium noluisse præjudicare sententiæ adeo probabilis affirmanti, conferri plus gratiæ, & ideo addidisse *necessaria*: quasi diceret: quidquid sit, an priventur Laici aliquo augmento gratiæ, & quibusdam specialibus auxilijs, quæ tamen non sunt necessaria ad salutem.

Probatum affirmativa 2. auctoritate Clementis VI. qui speciali favore concessit Regi Gallie communionem sub vtraque specie, & causam in Bulla (quæ tamen à P. Mendo quæsitâ non potuit reperiri) expressit; *ad majus gratiæ augmentum*.

Respondent adversarij 1. Id esse intelligendum ex opere operantis. Sed hæc responsio vix videtur aptari posse menti Pontificis, nam Pontifex hanc rationem allegavit, quia Rex ob hanc rationem petiverat, non videtur autem Rex

vtramque speciem petijisse, vt ex opere operantis posset plus gratiæ consequi; hanc enim ex sola communionem spirituali, & desiderio Calicis consequi poterat, absque actuali sumptione, quæ afferebat magnam singularitatem.

Respondent 2. posse intelligi de augmento Gratia ex opere operato, propter majorem dispositionem & devotionem quam rex erat præmissurus, si vtraque species concederetur, quàm si vna tantum. Ita Arriaga. Sed contra. Hæc dispositio debet esse actus liber: quis credat autem, quòd Rex ille se liberè & advertenter tepidiùs præparaverit ad Eucharistiam, eò quòd illi non nisi vna species dabatur, non ignarus in ea non minus totum Christum contineri, & se posse per majorem dispositionis intentionem etiam augmentum gratiæ consequi, etiamsi vnam speciem sumeret? Verum quidem est, quòd sumptio Calicis juret ad devotionem continuandam dum sumitur calix: sed hæc dispositio non servit ad augmentum gratiæ ex opere operato in sententiâ adversariorum, quia Gratia, secundum plerisque eorum, statim conferitur sumptâ hostiæ, & deinde nihil ex opere operato.

Respondet Arriaga 3. Pontificem tantum vt privatum Doctorem illam causam addidisse, quia fortè fuit in hæc sententiâ. Bene est: nec nos allegamus illius auctoritatem vt ex Cathedra definitentis.

886. Probatum Conclus. 3. Ratione. Illos effectus causat Sacramentum, quos significat, & econtra quos non significat, non causat: atqui species panis & species vini significant diversos effectus, ita vt vna significet aliquos, quos altera non significat: ergo causant diversam gratiam Sacramentalem, quæ sit radix illorum diversorum auxiliorum & effectuum. Major est certa, minor probatur. Species panis, seu, Corpus Christi sub speciebus panis, significat spiritualiter effectus speciales cibi vt cibi, & sanguis sub speciebus vini & potus significat speciales effectus vini & potus, & econtra cibus non est aptus significare effectus speciales potus, nec potus effectus speciales cibi: ergo species panis & vini significant effectus omnino diversos. Antecedens patet ex verbis Christi, dicentis, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Porro hujusmodi diversos effectus non obscure indicat Ecclesia dum canit: *Dedit fragilibus corporis ferculum: dedit & vrisibus sanguinis poculum*. alludens ad id quod canebat David ps. 103. Panis cor hominis confirmat, & vinum letificat cor hominis. Eodem modo vocatur Calix inebriatio animæ. nam, inquit Lugo, sicut ebrius redditur naturaliter insensibilis ad ferendos labores & tribulationes, præ temporali consolatione, ita & anima per hunc calicem præ consolatione spirituali.

Hoc argumentum fatetur Arriaga probabile esse, existimat tamen habere claram instantiam in extrema vñctione, cuius sunt septem diversæ vñctiones, quarum quinque ex veriore sententiâ sunt

sunt de essentia Sacramenti, & earum quævis significat diversa auxilia & effectus, & tamen qui septem unctioes accipit, non consequitur plus gratiæ, quàm qui tantùm quinque accipit. Hæc tamen instantia non enervat argumentum, neque est paritas cum sumptione duplicis speciei. Disparitas est, quia Gratiæ quæ confertur per extremam unctioem, non confertur per primam unctioem, sed per ultimam, & illa est radix omnium auxiliorum & gratiarum actualium quæ petuntur in formis singularum unctioem, & illam causant omnes unctioes per modum unius causæ totalis. At verò Gratiæ Eucharistica non confertur primùm per sumptionem calicis, sed statim sumptâ speciei panis, & deinde primùm adhibetur sumptio calicis, quæ est significativa alicujus gratiæ non significati vâ per speciem panis: ergo debet eam etiam causare.

Respondent alij aliter, & dicunt, spiritua-liter idem esse famem & sitim, idque ex pluribus Scripturæ testimonijs colligunt, exprimitur autem fames & sitis vt declaretur vehementia desiderij. quapropter vtraque speciei eandem gratiam significat, sed non eodem modo. Neque hæc responsio mihi satisfacit. Nam aliud est, famem sedari, & sitim extinguere, & aliud: per illum cibum confortari, & exhilarari. cibus quadragesimalis etiam sedat famem, & aqua extinguit sitim; sed nec ille confortat valde, nec hæc exhilarat: panis autem

habet præterea vim confortandi, & vnum vim exhilarandi, & hi effectus significantur per illas species seorsim. ergo etiam fames & sitis spirituales sint idem, effectus tamen panis & vini sunt diversi, quia non sunt sola sedatio famis & vini: ergo non solum diverso modo, sed etiam diversitas significant gratias.

Objicitur, ex nostra doctrina sequi, quod Laici defraudentur magno fructu quem consequerentur ex sumptione calicis. Quod refutatur, non est dicendum fraude fieri. Jure autem hæc gravissimis causis negat Ecclesia Calicem Laicis, & sic per accidens impedit in aliquibus fructum aliquem quem alioquin consequerentur: quod quidem non est in hoc puncto singulari, sed omnibus fatendum est fieri, dum negatur eorum communio eodem die, dum non nisi certa temporibus & locis permittitur hoc sacrificium celebrari, dum illud negatur pueris &c. Causæ autem negandi calicem erant gravissimæ. 1. pericula effusionis, quod nullâ morali diligentia carere poterat, & cedebat in gravissimam irreverentiam hujus Sacramenti: hocque docuisse experientiam apud Bohemos; testatur P. Dicastillo se à non paucis superstitibus audivisse. 2. multorum hominum error. 3. error plurimorum & fere omnium, quæ tenebant vtramque speciem, quod putarent sub vna specie non esse totum Christum.

